PRÆTENSIONES PRINCIPUM EUROPÆ.

PRÆTENSIO PONTFI-CIS IN ARRAGONIAM.

Hiſtoria.

A Regno Navarræ dependet Comitatus, quem Arragoniam dixere, donec heredis Matrimonio ad Regum Familiam rediret. Inde Regni Titulum accepit, cum Ramirum filium ob Fidem in Novercam eo donaret Sanctius Rex. In hujus manſit Poſteris, usque dum Petronella alterius Ramiri Filia Regnum dotale adferret Raymundo Berengario Comiti Barcinonis: Stirps ea diu Coronam geſtavit ac ultimò ſucceſſionem reliquit Caſtellanis, hi Auſtriacis. Pontifex autem in illud prætendit Superioritatem.

Fundamenta.

1.

RAmirus Rex primus, quod Pontifex Arragoniæ Honorem Regium Diplomate confirmaſſet, ſe Vaſallum conſtituit Eccleſiæ, Marian. L. 9. c. 7. Sedi Apoſtolicæ inprimis & maximè deditus fuit, prorſus ut Regnum, ſeque & Liberos Pontificibus obnoxios veſtigalesque fore, Lege in æternum lata voluerit & ſanxerit. Ita & Surit. Ind. Rer. Arragon. ad Anno 1063. Caſſanus Rechberg. des Dr. du Roy de Fr. L. I. c. 2. p. 82. 109. cauſam in eo quærit, quia Conſenſum Regis Franciæ ſperare non potuerit, quia hactenus Dominus Arragoniæ.

(2.) Petrus II. Arragoniæ Rex Diplomate dato Romæ An. 1204. apud Baron. T. II. Annal. obtulit Pontifici Innocentio, ſucceſſoribus & Sedi Romanæ Regnum ſuum & ad ſolvendum quotannis Cenſum 250. Maſſimitenarum ſe obligavit. Agnoſcit etiam Blanca (Rer. Arrag. in Rege Petro p. 650.) cum Eccleſiæ Romanæ Regnum ſubdititium feciſſe & ob hoc nomine Catholici donatum. Notat autem, Diademate Panis azymi, ne pedibus illud Pontifex pro more imponeret, cohoneſtari voluiſſe. Poſtea Jacobo I. Regi recuſavit Coronam imponere Pontifex, niſi Vectigali ſoluto, quod Pater promiſerat, ſed indignatus Jacobus diſceſſit. Marian. L. 13. c. 22.

(3.) Allegat etiam Caſſan. Rechberg l. 2. p. 113. Inveſtituram, qua Petrus III. quoque ob Regnum Arragoniæ & Sardiniæ præſtare juſſus eſt homagium, ligium Vaſallagium & Fidelitatis Juramentum & 100. Equites & 500. Pedites defenſioni Eccleſiæ. Itaque Petrum, cum, Sicilia occupata, Pontificis Auctoritatem inſuper habuiſſet, regno privavit Martinus Papa. Surit. Ind. Rer. Arrag. ad A. 1283. 1284. Sed ut ibidem Rex appellat a Pontifice ad alium minimè ſuſpectum & ſe Eccleſiæ ſubmittit.

(4.) Cum reſcinderetur Donatio Arragon. a Martino Papa Carolo Valeſio facta A. 1291. Alphonſus pactis Tarraconenſibus promittit quotannis 30. Uncias Auri Eccleſiæ pendere, Surit. ad A. 1295. Huc trahi poteſt, quod Surit. ad A. 1353. de Rege Petro IV. dicit, quod hic

hic Legatis Romam missis se Pontifici atque Sedi Apostolicæ subjectum & obedientem fore, Juramenti Fide sanxerit.

(5.) Cum post Martini R. mortem interregnum esset, & in eo alius Rex eligendus Benedictus Papa etiam partes interposuit suas.

Opponi potest his Fundamentis a parte Hispanorum.

(1.) Censum non inducere Superioritatem, nec semper debetur Collecta Jure Superioritatis sed aliis quoque Titulis. Vid. Spreng. Prætens. Illustr. p. 182. ubi ex JCtis. Speciatim verò Ecclesiæ sæpe pietatis ergo Censum promissum Historiæ Antiquæ docent Franc. Maced. 1. pag. 89.

(2.) Regis factum Regni Jura imminuere nequit, si Proceres non consentiant, ap. Surit. ad A. 1276. Petrus III. cavit posteris suis, & ante impositum Diadema obtestatur, se ab Archiepiscopo Tarraconensi ea conditione Coronam non suscepturum, ut Ecclesiæ adesse cogatur, aut ut illi obsit, ne se tanquam Ecclesiæ deditium aut stipendiarium ullo modo ultro profiteatur, quod a Petro Rege avo usurpatum & inductum Regni Proceres conquesti fuerant. In eundem sensum Blanca in hoc Rege, sic & ante ipsum Jacobus Coronatione Pontificis carere quam Vectigal solvere maluit. Marian. l. 13. c. 22.

(3.) Impossibilem esse in eadem persona potestatis Ecclesiasticæ & Secularis conjunctionem. Vid. Theolog. nostr. ad Luc. 22. 25. 26. Danhau. Hodosoph. Phænom. 2. p. 99. Idem in Christeide art. 1. protheor. phænom. 9. p. 81. idem in Hodomor. Pontif. Phænom. 2. p. 692. sq. quod omnibus Pontificiis Prætensionibus generatim objici potest.

(4.) A multo tempore non recognitum Jus eo ipso exspirasse dicendum est. Cum autem in universam Hispaniam Jus sibi aliquid dudum Pontifices arrogarent, unde Gregorius VII. Hispaniam Patrimonium Petri dixerit. Vid. ap. Thuan. L. 46. p. 782. nihilominus servarunt Hispani Libertatem. Marian. l. 9. c. 5.

PRÆTENSIO PONTIFICIS IN ANGLIAM & HIBERNIAM.

Hiſtoria.

REgnum Anglorum ab Anglo-Saxonibus auxilio Britannorum adverſus Pictos in Inſulam advocatis Seculo V. fundatum initio in Heptarchia, demum in Monarchia reliquis ad unam Coronam revocatis jam ultra XII. Secula durat. Saxonicæ Familiæ, cujus ultima tempora à Danis infeſtata & ex horum Gente aliqui intruſi Reges, extinctæ ſucceſſit in Wilhelmo Conquæſtore Normannica, huic Andegavenſis Plantagenetarum quam Tyderia excepit in Eliſabetha hoc ſeculo ineunte terminata. Jam Stuarti Scotico Regno adjecto rerum ibi potiuntur, in ipſos verò ſuperius aliquod Jus Pontifex Romanus ſibi arrogat.

Fundamenta.

I.

VEctigal Regno impoſitum initio a Centarino IX. Weſtſexiæ Rege, qui Petro Nummum Vectigalem Romam profectus promiſit. Hujus tamen etiam Polydor. Vergil. mentionem nullam facit. Inas XI. Rex Weſtſexiæ Gregorio III. Pontifici Regnum iterum Sedi Romanæ tributarium fecit. 740. juſſo quoque dono pendere annuum Nummum ſeu Denarium Petro. Vid. Polyd. Verg. Hiſt. Angl. l. 4. p. 118. qui addit: Omnis Anglia hoc tempore adhuc Vectigal Pietatis & Religionis cauſa Romano Pontifici pendit domeſticatim collatum, & Nummi illi argentei vocantur vulgò D. Petri Denarii, quos Pontificius Quæſtor, quem non inſcienter Collectorem nuncupant, exigit. Nos hanc olim Quæſturam aliquot per Annos geſſimus, ejusque Muneris obeundi cauſa in Angliam venimus. Weg. Imitatione hujus idem factum putat l. 8. p. 92. quod A. 775. Offa Rex Merciorum Romam petendæ delictorum

rum veniæ Hadriano I. Regnum vectigale fecerit, etiam imposito, in singulas Domos argenteo Denario. Ex iis qui Angliæ jam imperabant secundus Eddwolffus Monastico Voto, ut Rex fieret, a Leone IV. solutus, vel ut à Normannis tutus posthac esset, iterum singulas Familias nummo argenteo in singulos Annos ad Festum D. Petri & Pauli aut ad summum ad Petri Vincula obligavit Papæ. A. 847. vid. Polyd. Vergil. l. 5. p. 127. qui reliqua Regni, quæ Egbertus Pater adjunxerat, hac ratione obstricta Pontifici memorat. Solutum quoque id tributum, donec illud Henricus VIII. A. 1534. aboleret. Thuan. L. 1. c. 49. Schleider. l. 9. pag. 239. Inter alias Leges Henrici VIII. abrogtas à Maria Thuan. L. 13. p. 611. Schleid. l. 25. p. 817. hanc fuisse dubitarem, quia bona Ecclesiastica a Maria reddita non sunt, si verò etiam abrogatam diceres saltem A. 1559. Mariæ Acta ab Elisabetha iterum universa rejecta. Thuan. L. 22. p. 1066.

object. (1.) quod Census non inducat Superioritatem, unde Vergilius ipse Collector Pontificius dicit, Religionis & Devotionis, non verò, Subjectionis causa factum; imò in antiquissimis Anglorum Monumentis refertur, Inam hanc destinasse pecuniam tanquam Eleemosynam impendendam sustentationi Anglorum pauperum Romæ comorantium. Unde in aliqua Epistola Regis Eduardi dicitur Eleemosyna Regis, alibi Regis larga benignitas. Sic & Bulla extat Gregorii Papæ pro accipiendâ eâ pecuniâ, quæ Tributi non meminit. v. Meteran. Niederländ. Histor. l. 13. p. 353. Nec diffiteri potest, Scholam Anglorum commodo a Regibus erectam Romæ, licet ad hoc destinatum Vectigal illud non dicat. Polyd. Verg. l. 5. p. 128.

(2.) Henricus abolere jure potuit, inprimis verò subsequentes Reges Religione mutata,

(II.) Johannes Rex cum Pontifice Innocentio III. quod ab hoc creatum Episcopum Cantuariensem Stephanum Lungdunum admittere nollet, litem habebat, & A. 1208. excommunicatus est. Ob quod cum Ecclesiasticos initio durius tractasset, tandem Regis Gall. & Nepotis proprii Arturi Brit. Min. Com. ab ipso occisi armis pressus succubuit. Et coronam A. 1212. in manus Papæ cum Regnis Angliæ &

Hiberniæ resignavit, imposito illi septingentarum, huic trecentarum Marcarum tributo.

Obj. (1.) Testimonium authenticum de tali Homagio Johannis adferri nequit. Quod ex Tabulario Pontificis allegatur, suspectum est Polyd. Verg. l. 15. p. 357. Auctor Pontificis cujus Quæstor in Anglia fuerat studiosus, famam tantum allegat, referentem quod Johannes Diadematis a Pandulfo Legato Romano traditi & ab eo accepti Memoriam perpetuare cupiens, ea Lege se Innocentii fecerit Beneficiarium, ut Reges deinceps a Pontifice duntaxat Romano Jura Regni consequerentur. Cæterum has reconciliationis Leges, qui secuti sunt Reges minimè servarunt, neque Annales Anglici de ejusmodi deditione loquuntur. Sic & Thomas Morus semper tenuit, Romanos non posse hoc probare Testimonio idoneo.

(2.) Johannes quæ fecit, necessitate fecit undique pressus & consilii inops. Et ipse posteà apud Polyd. Verg. p. 361. clamat, sibi impositum esse, atque idcircò non vult conventis stare.

(3.) Posteros non respiciebant pœnæ Johanni impositæ ita Verg. d. l. p. 358. disertè. Quare illa omninò Onera Johanni tantummodò qui deliquisset, imposita, non item successoribus sustinenda fuisse satis constat.

(4.) Sine Statuum Consensu Johannes Onus Regno imponere non potuisset, unde cum sub Eduardo III. Cancellarius attulisset, Papam Angliæ Regem tam de Homagio quam de Tributo pro Anglia & Hibernia præstando, quibus Johannes se & Successores obstrinxerint, in Jus vocaturum, sententiâ rogatâ, Episcopi & Ecclesiastici seorsim, alibi Proceres & Plebs deliberarunt, una omnium sententia fuit, Johannem contra Juramentum in Inauguratione præstitum non potuisse sine Parlamenti Consensu hæc Pacta inire. Et si Papa hoc urgeret, ad opponendas Vires se paratos ostenderent. Cambd. Brit. p. 405.

(III.) Jam ante Johannem Pater ejus Henricus II. refertur, cum se purgasset a Thomæ Cantuarensis ab Exilio nuper revocati cæde (quæ in-

injuſſu ejus ſed occaſione probri ex quo ſui infeſtum animum judicabant & juſſum interpretabantur, patrata erat) paſſus eſſe Lege ſanciri, ut ipſe & Henricus filius ſic Regnum Angliæ obtinerent, ut nemo poſt illorum Mortem Regis Nomen ferre intelligeretur, niſi quem Romanus Pontifex deſignaſſet. Polyd. Verg. l. 13. p. 286. Cambd. Brit. pag. 404. & ſeqq.

Obj. Reſpondet ipſe Verg. l. c. his verbis: Hujusce rei Annales Anglici neque meminerunt, nec Reges, qui ſecuti ſunt, obſervantes fuerunt.

(IV.) Eadem Fiducia poſteà A. 1588. Sixtus V. Pontifex Eliſabetham non tantum excommunicavit, ſed & Regno illo (tanquam ſedis Romanæ beneficiario ex Inæ, Henrici II. & Johannis pactis) donavit Philippum II. Reg. Hiſpan. apud Thuan. l. 89. p. 379. 381. Niederländ. Hiſtor. P. I. L. 13. p. 617.

Obj. Pontifici Rom. in aliena Regna nullum Jus Αλλοτριος ἐπισκοπίας quam uſurpat, præbere poteſt apud æquos Rerum Æſtimatores.

(V.) Specialis in Hiberniam Titulus eſt. Hinc Hiberni ap. Polyd. Verg. l. 13. p. 282. Henrico II. Inſulæ Dominium affectandi reſpondent, niſi auctoritate Pontificis, cui poſt Chriſtianam Religionem acceptam ſe ac ſua omni dedidiſſent, id fieri non poſſe & ob hoc alium quam Pontificem Dominum non habere, jactant, idque dicit Vergil. etiam ſuo tempore jactaſſe. Unde Henricus ab Alexandro III. proprium quærente Commodum obtinuerit, ejus Dono Hiberniam jungi Angliæ. Hic ap. Thuan. l. 46. p. 782. a Pontificiis allegatur Hadrianus Papa, qui Hiberniæ Regnum donaverit Anglis. Addi poteſt quod Hiberniæ Regis Titulum auctoritate ſua probavit in Maria. An. 1555., cum ea per Legatos obedientiam deferret, Paulus V. ap. Camden. Brit. pag. 450.

Obj. Potior Titulus Henrico ab eo, quod Inſulam inteſtinis Diſſidiis turbatam in poteſtatem accepit; quod verò ap. Cambd. Brit. p. 404. translationem Dominii Hibernici ab Ordinibus in Henricum factam Urbanus Papa Bulla probavit, & in Confirmationis Argumentum Coronam de Pavoninis Pennis auro contextam miſerit, nihil Juri Anglico

glico derogat. Unde & Henricus VIII. propria & Comitiorum Dublinensium voluntate A. 1541. Regium pro Domino Titulum assumpsit. Jac. Waræ. de Hibern. c. 4. p. 26.

Opponuntur ab Anglis.

1.)

REformata Religio nullum cognoscit Ecclesiæ visibile Caput, unde multò minùs aliquem Sacerdotem, Regum Principem.

(2.) Regnum Anglicum Armis Anglorum fundatum, legitima successione & absque Pontificis interventu ad hodiernos Reges devenit; allegatur etiam Epistola Eleutherii Papæ ad Lucium III. Regem Britanniæ qua eum dicit Vicarium Dei in Regno suo.

(3.) A Johannis Tempore ad Elisabetham usque plurium Seculorum lapsu etiam Præscriptio firmata est.

(4.) Tam non subjecti Angliæ Reg. Pontifici, ut etiam Episcoporum constituendorum potestate gavisi sint. Ita Henricus I. eo Jure usus. Confer. querentem Polyd. Vergil. l. 11. p. 237. Licet tum Pontifex mutationem obtinuerit. ib. Sed ex illis quæ de Eduardo III. leguntur ap. eund. l. 19. p. 506. &c. Successores eadem potestate usos colligitur ringente etiam Pontifice.

Eventus.

CLasse Hispanica A. 1588. quæ, ut Executioni sententiam Pontificiam mandaret, vela dederat, disjectâ, conatus Romæ irritus fuit. Hactenus quoque hujus Consilia & Prætensiones naucifecere Angli & Regni sui Independentiam strenuè tutati sunt. Sic & in Hiberniam quæ A. 1580. tentaverat Pontifex ap. Thuan. l. 70. p. 569. in irritum cecidere. Nec felicius successere, quæ A. 1641. iidem Hiberni Pontificii contra Anglos ausi erant.

PRÆTENSIO PONTIFICIS IN HUNGARIAM.

Historia.

Regnum Hungariæ ab Attila Hunnorum Rege, Europæ Flagello fundatum & in posteris ejus continuatum, nulli obnoxium eo tempore fuerat, sed præterquam quod Conring. de fin. Imp. Germ. c. 17. demonstrat, Victoriis Henrici IV. Imperatoris Jus in illud natum esse Imperio, quod post Regem Salomonem iterum neglectum periit, etiam Pontifex Superioritatem aliquam in illud sibi vindicat.

Fundamenta.

I.

STephanum Regem, qui primus Christianus fuit, Regnum obtulisse B. Petro cum omni Jure & Potestate sua refert in Epistola ad Geizam Regem Gregorium VIII. ap. Baron. ad An. 1000. n. 11. 70. & ad A. 1074. n. 81. P. Ranzan. Epist. Histor. Ung. Jud. 8. p. 226. (Sed scriptor suspectus utpote Legatus per biennium apud Matthiam Regem) tantum venisse dicit eum Romam, ut Beatorum Apostolorum aliorumque sanctorum Martyrum Reliquias viseret, & Maximo Pontifici exhiberet Reverentiam & Obedientiam, qua Jure erat illi obnoxius. Obj. Conring. d. l. c. 17. p. 299. demonstrat falsum esse, quod de Stephani fertur oblatione, licet Benedictionem & Coronam Romæ sibi impertiri pro more ejus seculi voluerit, atque B. Virgini Regnum obtulerit, ut ex Bodino de Rep. c. 9. Ungaros A. 1308. Legato Pontificio circa hoc Argumentum acerrimè obstitisse manifestum est. Si quis ex eo, quod Carduitius Episcopus apud Surium in Vita St. Stephani dicit, eum a Pontifice, ut se Ducem regio Diademate cohonestaret, ac ita, a Sede Apostolica Coronam Regni petiisse, arguere velit, nihil colligeretur. Nam illa Devotionis argumenta, non Subjectionis Instrumenta esse debuere. Unde nullæ Conditiones præscriptæ Stephano sed missæ per Legatum Corona & Crux in ejus Decreti l. 1. c. 3. honorem Pontificum (quo

nomine intelligit omnes Ecclesiasticos) commendat, tanquam qui sint Custodes Divini Generis & Speculatores Animarum, sine quibus nec constituantur Reges nec principentur. Nihil aliud in specie de subjejectione temporali aliqua, qua Regnum Romano Episcopo obnoxium.

(2.) Idem Gregor. d. l. urget, quod Henricus III. Imperator Regnum hoc expugnans ad Sedem Petri Lanceam Coronamque transmiserit, & pro Gloria Triumphi sui Regni direxerit insigne quod Principatum ejus Dignitatis attinere cognoverat. Obj. iterum satis ad hoc respondet Conring. d. l. p. 300 Pietati non alii Intentioni Henrici hoc tribui posse & contrarium ostendi eo, cum ipse Regnum subjecit.

(3.) Argumentum quod idem Gregorius deducit ab Ecclesia, universali Hærede Romani Imperii, & Petri universali in Regna omnia Principatu, generale est, & alibi a nostris pariter & Pontificiis profligatum.

(4.) Addunt ex Marta de Jurisdict. p. 1.26. n. 49. quod hic viderit in Registro Vaticano de A. 1229. Lancellotum Regem Hungariæ Obedientiam Papæ promisisse. Tum quod Ludovicus II. ob inobedientiam in Legatum à Papa excommunicatus, pro absolutione An. 1280. in annos singulos 100. Marcas Argenti pollicitus sit, sed nisi in Numeris Error credatur, ipsa Falsitas ex eo elucet, quia A. 1229. nullus Lancellotus sed Andreas II. Clavem tenuit. Sic & A. 1280. Ladislaus III. non Ludovicus II præfuit. An verò respicitur Ladislaus III. quem apud P. Ranzan. Epist. Hist. Hungar. Ind. 16. ibid. Pontifex per Legatum ob infamem Vitam & Libidinem petentibus primariis Regno Viris excommunicavit, & privationis regni Judicio (ita Ranzan.) condemnavit, sed brevi post ipse occisus est a Cumanis. A. 1290. Idem memorat Johann de Thwrocz. Chron. Hung. p. 2. c. 80. sed dicit: Legatum nihil in Rege proficientem repatriasse. De Ludovico I. præfatus Thwrocz. p. 3. c. 22. memorat, eum Romæ magno honore receptum cum in expeditione Neapolitana adversus Johannem occuparetur & Auctoritate Domini Papæ absolutum super Altare S. Petri 4000. Floren. auri afferri fecisse & præsentari. Hoc verò Munus liberale dici potuit.

(5.) Addi potest, quod Factio una Hungarorum adversus Andream Venetum a Bonifacio VIII. petierit, Regem ad se mittendum Carolum Robertum adhuc puerum ap. Ranzan. Ind. 12. & Thwrocz. p. 2.

2. c. 82. seq. 89. Papæ Legatus A. 1309. fulminat diras in Regni Nobiles Carolo adversos.

Obj. 1. Qui Wenceslaum Bohemum ad Regnum capessendum adhortabantur, adversus Pontificis potestatem & Auxilia suas offerunt Operas (ap. Ranzan. d. l.). Quidam Presbyteri Budenses Pontificem, qui interdicto subjecerat Ungariam, nec non Archiepiscopos & Episcopos Regno excommunicarunt, haud dubiè quod Pontifex se Rebus Regni *injustè* ingesserit.

Obj. 2. Potuit etiam, sine aliquo in temporalia Regni Jure aliorum religionis Pontificiæ axiomatis cum vi, Papa in his turbis pro Carolo Rege legitimo partes suas interponere. Sed Historia etiam docet, eum proceres minus attendisse.

Opponi potest his præter Generalia adversus Pontificis potestatem, quod in Regno illa a Pontificibus sibi vindicata potestas nunquam agnita, sed quod a Majoribus acceptum supremum Jus transmissum sit in posteros, nec insolens etiam superioribus seculis fuit, ut se Negociis ad se non spectantibus Papæ ingererent quibus tamen frustra aliquis Ἀλλοτριοεπισκοπία novum Jus natum diceret.

Eventus.

INsuper habita Pontificis prætensione (nisi eam ipse omiserit, quod loco maximè opportuno ap. Thuan. lib. 46. p. 781. & Honorius III. in c. 33. X. de Jurejur. & Pius IV. apud Thuan. l. 47. p. 787. ejus mentionem non fecerit) nostro quoque tempore Hungaria sub Arbitrio aut juxta Regni Leges (electivum an successivum sit quæstio inter Regni Proceres & Austriacos dubia. vid. Brachel l. 2. p. 92. 95. seq. non hic definimus) non Jure Papæo præscripto Reges accipit.

DE PACTIS MADRITENSIBUS,
quorum in Prætensionibus toties fit Mentio.

CUm A. 1521. inter Carolum V. Imperatorem & Regem Franciscum bellum ortum esset (vid. de Belli Causis pro Parte Francica Blondel. Genealog. Franc. T. 1. p. 4. pro Hispanica quem ille l. cit. exagitat Zyphæum Hiat. Cassan. Obs. L. 7. c. 11.) magnis illud animis & variis successibus gerebatur, donec tandem Franciscus A. 1524. ad Papiam, cum Exercitus partem in Regnum Neapolitanum amandasset, vinceretur & caperetur. Inde in Hispaniam ductus est, ipse hoc petens, cum melius cum Carolo sibi præsenti de Controversiis speraret convenire posse. Ibi quoque conditiones difficillimæ propositæ, ut aliquando mori Rex captivus quam inire eas præoptaret. Tandem mense Januario A. 1526. Madriti conditiones præscriptæ, quæ publicè exstant, de quarum valore disputatur. Si enim illæ firmæ probari possint, multum Hispani in suarum prætensionum commodum, sin minus, Franci suo bono vicerint. vid. Histor. ap. Bellay. l. 2. & 3. Blondel. Assert. Geneal. Franc. T. 1. p. 5. 6. in Theseos defensionem illa adducit:

(I.) Carolum non ignorasse, se a Francisco impossibilia petere. ap. Guicciard. l. 16. Rex disertè Cæsari renuntiari jussit, non situm hoc esse in sua potestate. Unde & Johanni de Sylva protestationem dictavit, quum sibi vim fieri querebatur.

(II.) Si etiam fuissent iniqua, ut sine Flagitio nec exigi nec præstari potuerint, ut quod (1) contra Juramentum præstitum ex Patrimonio Regni jussus alienare Burgundiam. (2.) Navarrorum oppressorum qui ad suam opem confugerant, causam prodere (3.) Carolum Ducem & Geldros contra Fœdus deserere.

(III.) Ita etiam Principes Christiani Orbis, & ipsos Hispanos sensisse.

ſe. Ita Angli, Papa, Veneti & in ipſa Aula Epiſcopus Uxanienſis Friderici Toletani crudeli conſilio adverſus: Serviunt his firmandis illa fundamenta.

(α) Franciæ Regibus non permiſſum quicquam ſine Ordinum Conſenſu alienare.

(β) Legibus Chriſtianis contrarium, captum Bello perpetuo Carcere attineri, quæ pœna tantum facinoſorum ſit.

(γ) Obligationes in Carcere expreſſas nullius eſſe valoris. Rex autem ad Regni uſque limites cum dimittendus eſſet, arcta Cuſtodia tenebatur.

(δ) Non obligari, per quem non ſtetit, quo minus faceret, quam faciendum erat. Renixi autem Burgundi & poſthac totius Regni Proceres.

(ε) Communi Jure, quod metus cauſa fiat, irritum reddi.

(ζ) Maximilianns Auſtr. (ad cujus tamen Exemplum provocat Zyph. L. 2. 8.) pactis in captivitate initis teneri diu noluit. ap Thuan. l. 92. p. 710.

Hiſpanorum Argumenta pro Valore Pactorum.

I.

Legati per quos concluſa ſunt, facultate plena a Regente quæ Regia poteſtate prædita, quin a Rege in Italiam profecturo eam approbante Parlamento acceperat inſtructi fuere. Proem. Pact. Madrit. conf. §. 49. ubi omni Relaxationi præcavetur.

(II.) Confirmata hæc Pacta diſertis verbis aut implicitè ſequentibus Tractatibus Cameracenſ. ſ. 2. 3. 6. 16. 46. 47. Creſpian. §. 12. Caſtel. §. 1. Vervin. §. 1. & conſequenter ultima pace 1659. Sic & ipſe prius Franciſcus, cum dimitteretur, literis ad Carolum ſcriptis, ſe pactis ſtare velle teſtatus eſt. Zyph. l. 2. 9. p. 204.

(III.) Servari bona fide Conditiones Pacis publicæ Regnorum Quie-

tis intereſt. De Obſervantia Fœderum Zyp. 2. 1. & quod non a Regula excipiendi peculiari privilegio Franci. c. 2.

Ex Caſſano illa præcipuè adverſus Madritenſem pactionem paſſim reperiuntur.

I.

EXceptio Violentiæ. Jam ad Contractus libera Voluntas requiritur. Ita Zaberilla Card. Conſ. 137. Janum Cyprium Regem abſolvit ab obligatione promiſſorum, quibus graviter ſcindatur Regalis Dignitas, vi extortorum. Ob hanc cauſam Paduana Academia Regem non obſtrictum credidit, ſic & confirmationes poſtea ſecutæ factæ amore Liberorum, quæ ipſa vis etiam aliqua eſt. Unde datur Reſtitutio etiam apud alios. Reges verò neminis poteſtati ſubjecti ſemetipſos reſtituere poſſunt.

(2.) Rex Dominii nihil alienare poteſt, & ad hoc in Coronatione Juramento ſe adſtringit.

(3.) Domum reverſus Rex revocavit.

(4.) Hiſpani accipientes Lytron eo ipſo cum obligatione liberaverunt.

(5.) Concilia Cognaci habita A. 1576. proteſtata contra Contractus Nullitatem tanquam contra LL. Regni, hocque Regi præſente Carolo Lancio pro Rege Neapolitano repræſentarunt. Sic & defuit Ratificatio Parlamenti Pariſienſis, ſine qua Dominium alienari nequit.

(6.) Quædam, quibus ceſſit, ad Liberos ſpectabant Jure materno.

(7.) Capti nulla Voluntas.

(8.) Conditiones iniquiſſimæ. Num & olim Ludovicus IX. a Barbaris captus ſine diminutione Regni Libertatem recuperavit, quod hic negatum. Sed & mali Exempli res in alios Reges eſt, utpote qui æquè ſubjecti caſibus fortuitis atque iſte.

(9.) Cum Franciſcus liberatus ea de re ad alios Orbis Chriſtiani Principes ſcripſiſſet, hi non obligari cenſuere, offerentes ſe ad Auxili-

lium, ſi filios Carolus V. retineret, & cum his Status omnes Regni, Theologi, Canoniſtæ, JCti conſenſere.

(10.) Homines, Subditi & Jura provocationis Natura ſua ſunt inalienabilia.

(11.) Diffidentia Caroli, qui pignori ſibi dari Liberos Regios voluit, non contentus nudo promiſſo Franciſcum magis liberat, qui enim ſponſores dat, ipſe eſt liberatus.

(12.) Saltem ſi Franciſcus ad Dies Vitæ obligatus fuiſſet, non obſtringi potuere Poſteri.

Adverſus Fundamenta Gallica excipiunt Hiſpani. Conf. Zyp. tot. l. 2.

I.

CArolo ignotum fuiſſe, quod Curiæ placito in alienatione Rex obſtrictus.

(2.) Non bona fide egiſſe Regem, qui promiſerit, quod in ſua non erat poteſtate. Proteſtationem ſecretam valore deſtitui & doloſam eſſe.

(3.) Alienationem Domanii Regii prohibitam eſſe, non aliarum Provinciarum, quæ ullo Jure ad Reges delatæ, nec ad illud ſpectare Jus Superioritatis in Flandriam.

(4.) Metum Carceris juſtum Metum non eſſe, adeoque Contractum carcerati valere apud JCtos, ap. Spreng. Prætens III. p. 213. Sic & Jure Gentium. Zyp. 28.

(5.) Nullam Pacem concludi, quin ſimilibus Excuſationibus eludi poſſit obſervatio.

(6.) Penes Regem in Gallia ſupremam eſſe poteſtatem, non penes Ordines, itaque etiam Pacis quacunque conditione ſanciendæ poteſtatem Zyp. 2. 3. 4.

(7.) Leges alienationem Domanii prohibentes, non Regibus, ſed Miniſtris latas, Zyp. 2. 5. nec extare aliquam, quæ aliquid Regni Hoſti cedere vetaret. Multo minus id Jure Communi illicitum

tum c. 6. nec Juramento Regem impeditum c. 7. Confer. de Jure Gentium & consuetudine Franciæ. c. 14. 15.

(8.) Lytron Filiorum Pacem Madritanam conformare, ut quæ disertè eodem tractatu reservetur. Zyp. 7. 10. p. 206.

(9.) Antecessorum Pactis Successores teneri. Zyp. 2. 12. & 13.

Adversus Fundamenta Hispanorum excipiunt Galli.

I.

REgentis non majorem esse potestatem quam Regis, adeoque ad Leges Fundamentales esse restrictam.

(2.) Confirmationem factam Tractatibus insequentibus non novam validitatem conciliare prioribus, sed tantum respicere ea, quæ non vitium ipsa includunt.

(3.) Fœdera servanda quæ non vitium involvunt.

PRÆTENSIO PONTIFICIS IN SARDINIAM.

Historia.

INsula Sardinia in mari infero Italiæ objecta, Romanis qui Carthaginensibus ademerant, olim paruerat, inde Saracenis (incolis aliquibus alias sedes quærere coactis ap. Baron. ad A. 852. n. 8.) invasa, quibus ejectis Genuenses & Pisani de ejus contenderunt Dominio: Jus verò supremum Pontifex sibi attribuit & in Cancellariæ Romanæ Registris Insulæ Nomen inter ea, quæ Ecclesiæ Homagium debent, legi referunt.

Fun-

Fundamenta allegari poſſunt.

I.

DOnum Imperatorum, quod largitur, ſervato tamen ſupremò Jure. Conring. de Fin. Imp. Rom. Germ. c. 11. p. 140. Sed & Fridericus II. Filium Ericum Regem Sardiniæ conſtituit. Bzov. T. 3. A. 1238.

(2.) Pontificis Autoritate factum dicitur, ut Genuenſes & Piſani Inſulam occuparent & hi Inveſtituram ejus nanciſcerentur. Sed add. ex Conring. l. cit. p. 140. 141. Friderici Regis Legatos, quos Inſulæ adminiſtrandæ miſerat, a Genuenſibus & Piſanis, qui Inſulam occuparant, excluſos. Piſanis iterum Pontifex, eum ademiſſe dicitur, quod Friderico II. adſtitiſſent, ſed ex Bzov. Tom. 13. A. 1217. §. 11. diſcas, Honorium III. per Legatum Piſanos ab Invaſione Inſulæ, quæ Juris Romanæ Eccleſiæ eſſet, dehortatum, antequam eos Innocentius IV. A. 1246. (vid. ejusd. n. 16.) ob aſſiſtentiam Friderici II. excommunicaret.

(3.) Gregorius VII. Pontifex ap. Baron. Tom. 2. A. 1037. n. 68. Literis monuit Judices Sardiniæ, ut Sanctam Romanam Eccleſiam recognoſcerent. Idem §. 69. alia innumera ait extare vetera Monimenta quibus Inſulam ſub Eccleſiæ Dominio eſſe probari poſſit. Poſtea Bzov. T. 13. A. 1203. n. 15. memorat, quod Innocentius III. Pontifex per Legatum Juramentum iterum & Cenſum ab Inſula exegerit, ut quæ in temporalibus & ſpiritualibus tanquam Patrimonium Petri ſubjecta eſſe debeat Eccleſiæ Romanæ.

(4.) Bonifacius VIII. Papa regnum Jacobo II. R. Arragoniæ concedit Eccleſiæ nomine Bzov. T. 13. A. 1295. n. 3. Surit. Ind. Rer. Arrag. in Reg. Jacobo II., qui tamen ob hoc, quod multo ſanguine Inſula occupanda Jacobo & ſucceſſoribus conſtiterit, non gratis datam dicere vult. Conf. Luc Marian. Sicul. L. 11. in Alphonſo IV. Bzov. T. 14. A. 1323. narrat Expeditionem in Inſula adverſus Piſanos, quam armis experiri malebant, ſed addit; ſubacta ferè Inſula Lue peſtifera Exercitum afflictum & Inſulam deſerere coactum. Sic & A. 1353. Petrus IV. Rex per Legatos Jura Sardiniæ ſuprema addicit Eccleſiæ ap. Surit. Ind. Rer. Arrog. 1353. Bzov. T. 14. n. 10. dicit; aureo Sigillo munitas Literas Regias Valentiæ ſcriptas pro ejus ligii Homagii Fide al-

latas Papæ, nec non Censum ex illis Regnis solutum, conf. Bodin. l. de Rep. c. 9. Verba Diplomatis : Tu & Successores tui præstabitis Homagium ligium, Vasallagium plenum & Fidelitatis Juramentum & 100. Equites armatos & insuper Censum bis mille Marcarum Argenti bonorum & legalium Sterlingorum &c. nisi post tertium terminum solvatur Tributum, Rex Regni Jure excidere decernitur.

Opponi possunt generalia Fundamenta Pontificiis reliquis Prætensionibus etiam idonea.

PRÆTENSIO HISPANIÆ IN BRITANNIAM.

Historia,

ARmoricam Britannicam olim Regibus propriis paruisse, fama est. Eandem in Regum Franciæ potestatem venisse Victoria Clodovæi traditur, quamvis etiam post hæc alii Regum faciant mentionem, quos, nisi quod aliqui rebelles tantum hunc Titulum rapuere, rectius dicas Comites, auctoritate Regum sua regentes. Inter Comites Rhedonenses & Namnetenses de principatu diu fuit contentio, armis etiam acta ; donec tandem Bertha Namnetensis Alano nigro ex Rhedonensibus Richmondiæ Comiti eam adferret. Horum neptis fuit Constantia Gothofredo Andino, Ranulpho Cestrio, ac demum Guidoni Thoarsio nupta, primus ex primo matrimonio successit Arturus Andinus, sed Patrui fraude extincto, soror uterina Alis Thoarsia Petri Comitis Trecensis ex Regio Sanguine Uxor. Ita in Regia domo per Petri posteros, cum primum promiscuè Comitum ac Ducum Titulus adhiberetur, ex quibus potior tandem mansit, continuata est successio, non tamen sine controversia inter Carolum Blefensum Guidonis Britanni Penthevrii Generum favore Regis Galliæ subnixum & Johannem Britannum Montfortium, Guidonis fratrem, ejusque filium ab Anglis adjutos, vicere Montfortii & Ducatum retinuere, donec ultimus Fran-

Franciſcus II. morte ſua A. 1488. maſculam totam progeniem terminaret. Heres fuit filia Anna, quæ Carolo VIII. & dein Ludovico XII., hujus vero filia Claudia Franciſco I. nuptæ iterum Regmatrici Lineæ Regiæ Principatum intulerunt, in qua huc uſque hæſit. Prætendit Ducatum ſibi deberi Rex Hiſpanorum ap. Chifflet. Vind. Hiſpan. Zyp. Hiat. Caſſan. Obſtr. l. 1. c. 16. p. 75. & l. 2. c. 11. p. 215. qui tamen Iſabellæ Morte ad Sabaudum Jus relatum fatetur.

Allegari poſſent Fundamenta.

I.

ANna Heres Franciſci II. Maximiliano I. legitimè deſponſata per Johannem Cabillon Principem Arauſici & Wolffgang. Polhemium, ſed per injuriam dein a Carolo VIII., qui eam duxit, erepta. Conf. Conring. l. 7. c. 3. Ferron. l. 1.

Obj. (1.) Saltem Jus ex matrimonio non completo nullum nanciſci potuere Auſtriaci.

(2.) Matrimonium contra Leges Regni factum (quæ Regium conſenſum requirunt) non ſubſiſtere potuit. Conf. Limn. Not. Franc. 7. 8. 224.

(3.) Pace factâ, quicquid ratione Annæ prætendi poterat, extinctum eſſe.

(4.) Si etiam prius Matrimonium cum Carolo VIII. illegitimum fuiſſet, Ludovico XII. deinceps nupta Jus Principatus integrum attulit & ad Poſteros transmiſit.

(II.) A Claudia Matre Jus Principatus ad filium Henricum II. devenit, ab hoc ad Liberos iterum transmiſſum, in quibus cum Maſculi extincti, ſaltem poſt Margarethæ Mortem quæ Britanniam tenuit. Zyp. l. 1. c. 10. p. 70. Major filia Iſabella Regi Hiſpano Philippo II. nupta, aut ejus Liberi Jus meritò ſibi vindicarunt. Inprimis Iſabella Clara Eugenia, Iſabellæ Filia, quæ ob hoc cum Marito Alberto in Curia Pariſienſi Litem movit Ludovico XIII. Sed hæc quoque ſine Liberis mortua heredes, vel ex teſtamento vel ab inteſtato, Sabaudos aut Philippum

IV. habere debuit. Sic jam A. 1596. per Mercurianam Factionem Infanti Principatus destinabatur ap. Thuan. l. 117. p. 553.

Obj. (1.) Unio Britann. facta An. 1532. consensu Statuum, ut nunquam posteà a Corona alienaretur. Thuan. l. 16. p. 754.

(2.) Elisabethà seu Isabella omni successioni paternæ renuntiavit in Pace Castellana & Cameracensi A. 1559. n. 29. Excip. Reservatæ Elisabethæ successiones collaterales.

(3.) Margaretha sola Henrici III. superstes soror non tenuit Principatum.

(4.) Ex Lege Regni quæ Regi obtingunt Regno uniuntur. Limn. Notit. Franc. 18. 128. 216. 221.

Obj. (α) Legibus his præjudicium tertio creari nequit.

(β.) Sunt exempla contraria Navarræ, Burgundiæ Comitatus & alia. Certè eam Legem ne Reges quidem semper agnoscre voluere.

(5.) Alia Regni Lege (Albinagii) exteri arcentur a Successione & Hereditatum consecutione. Conf. Limn. Not. Franc. 2. 7. p. 293.

(6.) Isabellæ Morte cum Jus ad Sabaudum delapsum esset, hi prætensionem non prosecuti.

Eventus.

MAnsit hactenus in possessione Rex Galliæ, non tamen videtur Rex Hispaniæ abdicasse prætensionem, unde §. 21. in Pac. Vervin. cum Isabellæ Infanti servatur Jus suum, inprimis Britanniam respici existimo. Eadem Reservatio ultima illa Pace An. 1659. repetita. §. 89. 90.

PRÆ-

PRÆTENSIO REGIS HISPANIÆ. IN DUCATUM BURGUNDIÆ.

Hiſtoria.

CUm Philippus Dux Burgundiæ cognomento Roboretanus ex priori familia ultimus Anno 1361. extingueretur, ſucceſſit ei Rex Franciæ, ſed eundem Ducatum filio Philippo, cui Audacis cognomen inditum, conceſſit, a quo nova Ducum ſtirps ſurgit, cujus in Carolo Audace An. 1477. maſculi defecere. Supererat filia Maria, ſed hanc a ſucceſſione Burgundiæ Rex Gallorum Ludovicus XI. excluſit, unde Regibus cum Auſtriacis, quibus nupta Maximiliano Imperatori hanc prætenſionem attulit, de hoc Ducatu controverſia. vid. Cominæ l. 6. 1. &c.

Fundamenta Hiſpanorum.

DE quibus Zyp. l. 16. p. 166. ubi citat Fujun. qui ex profeſſo illa. Gollat. Mem. de la Franche-Comte. Chifflet. Vind. Hiſpan. c. 8. pag. 71.

(I.) Natura Ducatus ad Fœminas tranſire ſoliti. Nam (quæ pleraque ex Chesneo probari poſſunt) cum Richardum Comitem Auguſtodunenſem a ſororio ſuo Carolo Calvo conſtitutum, Odo Rex & Carolus ſimplex creaſſent Ducem Burgundiæ, ejus Filii quidem Rudolphus, poſteà Rex, & Hugo niger Ducatum geſſere, ſed his extinctis affinis Giſelbertus Comes Auguſtodunenſis filius Manaſſis, qui ipſe etiam Ducatui aliquandiu præfuerat, Jure Uxoris An. 980. ſucceſſit. Simili ratione Giſelberti filia Ducatum attulit Marito Ottoni Hugonis Capeti Regis fratri, Ottonem Fratres Eudes & Henricus excepere, ſed im-

improles omnes, unde sibi legatum Robertus Rex vindicavit & contra Ludovicum Comitem Nivernensem æmulum defendit. Inter Roberti Regis liberos Ducatus minori Roberto assignatus est, ac ab eo diuturna posteritas, quæ A. 1361. in Philippo defecit. Cum hujus Hereditatem postularent Rex Navarræ Carolus, Johannes Rex Franciæ, Philippus Dux Aurelianensis, Robertus Dux Barri, omnes fœmineo Jure nixi, vicit Rex Franciæ. Conf. Chifflet. Vind. Hisp. c. 8. sed & supererant Philippo Roboretano moriente Agnati ex Burgundica Gente Lineæ Sombernonicæ & Colchienses, ad quos deferri poterat Ducatus, si Jure tantum Agnationis succederetur.

Obj. (1.) Non omnia fœmineo Jure tenentur ab illis, qui decessorum filias aut sorores duxere, sed alio titulo certiori niti possunt.

(2.) Facta hæc antequam Unio fieret, An. 1361. per quam in aliam naturam commutata Burgundia.

(II.) Concessio a Johanne Rege facta Philippo filio iis terminis, qui Apennagium non sapiunt. Tabularum ex Myræo adducit partem Zyp. d. l. ubi ad causæ hujus favorem faciunt: (α) Allegatio Burgundiæ ex materna hereditate: (β) Causa impulsiva singularis, Amor in filium & ejus Merita præmio digna: (γ) Æquiparatio cum Comitatu Burgundiæ qui haud dubie non Apennagialis. Conferantur ex ea Unione argumentantes ap. Spreng. p. 191. (δ) Absoluta Denominatio Heredum in legitimo Matrimonio natorum, sine sexus discrimine, quod & fit in Caroli V. verbosa confirmatione: (ε) Donatio facta cum omni Jure & libertate, qua priores Duces eam tenuerant, quibus Apennagialis conditio non adjecta: (ζ) Reversio ad Coronam restricta, si heredes ex legitimo matrimonio & proprio corpore procreati deficerent.

Obj. (1.) Sunt & alia Apennagii constituti vestigia.

(2.) Verba, heredes in legitimo Matrimonio procreati, explicari debent ex verosimili contrahentium Intentione de Masculis. Zyp. 1. 12. p. 77.

(3.)

(3.) Nec potuit Rex filio aliô quam Apennagiali Titulo concedere Domanii Regii partem. Confitetur enim Rex disertè, quod separet Domum Burgundicam a Domanio, cui eam duxerat adjungendam. Hoc verò non est in Regis potestate. vid. Limn. Not. Franc. 2. 6. p. 190.

(4.) Sensus concessionis non aliter intellectus. Cum Philippus Bonus constitueret Ordinem Equitum Aurei Velleris, constituit Ducem Burgundiæ. Sic & aliæ fundationes ap. Zyp. p. 123. allegatæ docent, hanc Opinionem omnibus sedisse usque ad Mortem Caroli Audacis.

Obj. Non mirum est, in suum Compendium interpretatos Burgundos Verba qualemcunque Interpretationem admittentia.

(5.) Cessio in Pactis Madritensibus §. 3. quibus omninò à Corona Ducatus hic separatur, & nihil Superioritatis in illum reservatur Regi.

(6) Perpetua Juris conservatio in Pactis Camerac. §. 2. Crespic. §. 34. Vervin. §. 21. 22. nupera. §. 89. 91. Sic & in Titulis & Insignibus animus retinendi demonstratus.

(7.) Addi potest Jus Imperii in Ducatum. Limn. I. P. I. 9. 22. Conring. de Fin. Imp. Germ. c. 28. p. 270. Sed quæ pro Jure Imperii in Ducatum Burgundiæ adducit Sprenger p. 189. & Burgundici Regni translationem ad Germanos attinet, nullius sunt ponderis, si consideres Regni illius fines ab ipso Dom. Conringio allegatos. c. 12. p. 169. 176. 177.

Obj. Invito Domino Carolus V. Ducatum Burgundiæ in Transactione illa Burgundica non potuit subjicere Imperio. Verum nec in transactione illa A. 1548. facta mentio Ducatus Burgundici fit, §. 15. quo enumerantur Principatus.

Fundamenta Gallorum quibus Jus suum in Ducatum fulcire volunt, partiemur in eos Titulos, quos in Pactis Madrit. §. 3. Hispani præcaveri & abdicari voluere.

(1.) Unio & Incorporatio. Incorporatus est Ducatus An. 1361. Iterum

rum Occupationi Ludovici XI. suffragatur Lex Regni, Regi quæ obtingunt, quocunque Titulo bona Domanio jungens, Limn. I. P. L. I. c. 8. p. 173. 216.

Obj. (α) Unio An. 1361. insciis Ordinibus facta, & ab ipso Duce revocata. Zyp. p. 167. 170.

(β) Alia Unio doceri nequit esse facta. Zyp. 1. 11. p. 71.

(γ) Lex Civilis tertio non præjudicare potest.

(2.) Constitutio Apennagialis, quam ex superius adducta concessione probare licet. (1.) Ex adducta Ratione, quare hunc Principatum concedat; scil. Statum juxta suæ Prosapiæ, perspicuitatem honorificè continuent, quæ est ratio Apennagialis. (2.) Ob id retractus Principatus Turonicus, qui haud dubie Apennagialis, adeoque hic etiam ejusdem naturæ cum eo pro quo substituitur.

Obj. Vid. supra in Fundamento Hispanico.

(3.) Lex Salica fœminas a Successione Feudorum Regiorum arcens, & licet exemplis ostendi possit, Dignitates Franciæ etiam ad Fœminas delatas, excipiuntur tamen Regnum ipsum, Ducatus Aurelianensis, Bituricensis & Burgundicus. Chassan. ad Consuet. Burg. Et hæc de omnibus feudis præsumtio, nisi contrarium probetur. vid. Spreng. p. 188.

Obj. Contrarium patet ex primo Hispanico Fundamento.

(4.) Jure ob Feloniam Caroli (conf. Chassan. Rechb. 2. 5. p. 659.) & debito modo, quia consensu Ordinum Occupatio a Ludovico XI. facta.

Obj. (α) Feloniæ contraire nec potuit Carolus,

(β) Nec in vivum illud Rex ausus est.

(γ) Consensere Ordines sed seducti. Gollat. Mem. de la Franch-Comt. l. 11. c. 1.

(5.) Adderet quis Cameracensia Pacta. §. 2. & Cresp. §. 28.

Obj. Nihil illa Gallis dant, cum sint conditionata & restricta.

(6.)

(6.) Præscriptionem alii fortè adjungent.

Obj. Hanc exclusere pridem Cameracensia Pacta. §. 2. & alibi.

Eventus.

QUamvis ab Hispanis Prætensioni nuncius non sit missus, quieta tamen a multo tempore Gallis Provinciæ Possessio mansit. Nisi quod *Belli* ex omni parte inter utramque Nationem gesti aliqua etiam sed *non sibi propria* sensit vulnera.

PRÆTENSIO D. SABAUDIÆ IN CYPRUM.

Historia.

QUa ratione Regnum Cypri Insulæ seditione Isaaci cujusdam Imperio Constantinopolitano ereptum, inde a Richardo Rege Angliæ occupatum ad Templarios, tum ad Lusignianam Familiam devenerit, inque hac per plures successionis gradus permanserit vid. Thuan. l. 49. p. 909. 938. A successione verò Lusignianæ Familiæ Regni Jus sibi asserunt Sabaudus & Veneti.

Ducis Sabaudiæ Jura nituntur.

I.

INjusta Carolæ filiæ Johannis III. Regis Cypri a notho fratre Jacobo facta Exclusio. Illa enim post Mortem Patris Coronam, quæ Equo ferociente Capite delapsa in Omen ab aliis tracta, A. 1458. & Maritus A. 1459. accipit. Verum A. 1460. præfatus Jacobus ex Concubina na-

tus, atque antea Epiſcopus Nicoſienſis, auxilio Soldani Ægyptii eam Bello funeſtiſſimo, quo tantum non tota Inſula deflagravit, Regno ejecit. Poſt hunc ab aditione Hereditatis etiam Veneti eam arcuere, cum Reſponſo: Cœlum Cœlorum Domino, Terram dedit filiis Hominum.

(2.) Carolæ Donatio, quæ Marito Ludovico Sabaudo A. 1482. mortuo ejus ex fratre Nepoti Carolo Bellicoſo, D. Sabaudiæ donavit, A. 1485. Regnum, quocum Titulus Regni Hieroſolymitani conjunctus, quam ille Donationem accepit. Aut. les Etats de l'Empir. dicit, Eum ab ipſa adoptatum, allegato Philiberto Pingonio; Ex eodem allegat Renunciationem in Regnum commodo Caroli Ducis a Carolo factam, & aureis literis ſcriptam, quam neſcit an pro eadem habere debeat cum priori. Acceſſit tandem Teſtamentum ejusdem Romæ factum præſente Innocentio VIII. Papa & Cardinalibus

(3.) Anna ſoror Johannis III. Regis Cyprii fuit Neptis Ludovici D. Sabaudi, ad quam, ſi dicas Carolam Neptem deceſſiſſe improlem, ſucceſſio Regni delabi debebat, ab hac verò extincta primi filii Amadei II. Ducis Progenie Jus ad Philippum ejusque Poſteros devolvitur.

(4.) Ea, quæ ſervando Juris ſerviunt, ſtudiosè obſervata.

(α) Semper a Carola contradictum fratri Jacobi.

(β) Poſt Jacobi Mortem ea Venetiis auxilium petiit recipiendo Regno, quamvis ab eis nihil obtinere potuerit. Juſtin. Hiſt. Venet. l. 9. p. 169. Inde neceſſitate compulſa ab Ægyptio Soldano Auxilium petiit. p. 176.

(γ) Poſt Carolæ A. 1487. defunctæ Mortem Carolus Dux Sabaudiæ A. 1488. Titulum & in Moneta Inſignia Cypri aſſumſit, ac ea de re ad Soldanum Babylonis ſcripſit. Guichen. Hiſtor. Geneal. Sabaud. in Carol. 1.

(δ) Cum An. 1530. Carolus V. Bononiæ commoraretur, Carolus Dux

Dux Sabaudiæ a Venetis repetiit Cyprum, eique suffragabantur Clemens VII. Papa & ipse Imperator. Les Etats &c. 17.

(ε) De Recuperatione Insulæ Consilia, An. 1601. Carolus Emanuel egit cum incolis, jam Spes aliqua erat, quæ A. 1608. re maturius emanante frustra fuit. Guichen. in hoc Duce.

(ζ) Victor Amadeus, orta de priori sede A. 1633. cum Venetis controversia, Coronam illorum Exemplo claudit, ac titulum sumit Regiæ Celsitudinis cum integro Scuto Cypriorum armorum.

Reipublicæ Venetæ Jus hoc Titulo fundatur.

QUod Jacobi ultimi ex Lusignianis Regis Uxor Catharina M. Cornari seu Cornelii Veneti filia, cum ei nuberet, a Republica adoptata esset. Hanc gravidam reliquerat Maritus, unde Posthumum. Si nasceretur vel hoc extincto illam Heredem Regni scripsit, Veneti eam initio tutati, tandem per Fratrem Georgium Cornelium persuaserunt aut adegerunt, ut Venetias veniret, Insula in fidem Reipubl. redacta, illi tamen Regius honos non negatus. Defunctâ, licet Jacobus Nothos suos etiam ad successionem Regni vocasset, Hereditatem crevit Respublica & ex eo Insulam retinuit. vid. Thuan. l. 49. p. 910.

Eventus.

INsulam A. 1570. Selimus eo titulo, quod Mameluccorum in Ægypto, quos subegerunt pridem Turci, regno eam tributariam ab illis captus olim Janus Rex addixerit, invasit, & eo ac sequenti Anno totam subegit, necquicquam impediente Classe Christiana Fœderatorum. Nec hactenus ex illius Manibus recuperari potuit, vid. Thuan. l. 49. p. 904. Nihilominus & Respublica & Dux Regni amissi Memoriam & Prætensionem in Insignibus & Corona Regia servant.

PRÆTENSIO D. SABAUDIÆ IN Ducatum Montisferrati.

Hiſtoria.

Montisferrati Marchionatum primùm An. 967. ab Imp. Ottone conceſſum fuiſſe & hunc ejusdem Conſanguineum tradunt. In ejus Progenie maſcula continuata eſt ſucceſſio usque ad Johannem Jacobum qui An. 1305. morte ſua ad Palæologos Hereditatem transmiſit, cum Soror ipſius Jolantha ſeu Irene Andronico Palæologo Imperatori Conſtantinopolitano nupta Theodorum genuiſſet, avunculo ſucceſſit. Poſt hunc Palæologi præfuere Marchionatui donec Johannes Georgius ultimus Marium An. 1533. in fata abiret. Succeſſio controverſa fuit, cum præter Salucios ab Alerano ſuam quoque Originem deducentes & ex quibus Ludovicus II. Johannam filiam Marchionis duxerat, hinc Sabaudus, illinc Mantuanus ſibi eam deberi prætenderent.

Fundamenta Sabaudorum pro quibus ſcripſit Antonius Faber.

I.

PActa dotalia, quibus Theodorus Palæologus Marchio An. 1330. cum filiam Jolantham uxorem daret Aymoni Comiti Sabaudiæ, filiæ & deſcendentibus illius ſucceſſionem pollicitus eſt, principatus quocunque tempore contingeret deficere maſculorum Proſapia. Guichen. Hiſt. Geneal. D. Sabaud. in Aymon. Capriat. Hiſtor. l. 1. c. 15. Gramond. l. pag. 37.

Obj. (1.) Pacta hæc dubia.

(2.) Nec valere ſine Imperatoris confirmatione pactum, quod legitimam ſucceſſionem turbet.

(III.) Jus Blancæ filiæ Guilielmi Palæologi Ducis Montisferratenſis, quæ in Marchionatu, qui ex inſtitutione Ottonis fœminarum ſucceſſionem non reſpuit, ſuccedere debuerat, dein verò a Patruo excluſa, & Carolo I. D. Sabaudiæ nupta, teſtamento Carolum III. D. Sabaudiæ A. 1509. univerſalem dixit Heredem, Capriat. Hiſt. l. 1. p. 16. Hoc puto vult Gramond. l. 1. p. 38. cum dicit: Conſtituta in Dotem Sabaudiæ Duci Centena millia Aureorum etiam nunc debita cum uſuris duplo majoribus.

Obj. (1.) Blancæ nullum Jus fuit, ſed excluſa eſt Succeſſione à Patruo.

(2.) Cum ſine liberis deceſſerit, multò minus Teſtamento agnatos a feudo excludere potuit.

(III.) Cum Heredibus Maſculis extinctis deveniendum fuerit ad fœmininam ſucceſſionem & a Theodoro Margaretha Mantuana & Dux Sabaudiæ æquè deſcendant, Sexu Dux vincit. Capriat. p. 16.

Obj. Nulla Lege proqinquitati gradus Sexum præferri etiam in ſucceſſione laterali.

(IV.) Magnam partem Ditionis An. 1435. Johannes Jacobus Palæologus ejusque filius Amadæo VIII. D. Sabaudiæ donarunt, quam tamen eadem die ipſis reddidit, ut feudo tenerent, unde feudum ad Dominum redit, maſcula Prole extincta. Capriat. p. 16. 17. Grammond. lib. 1. p. 38. ita refert: Bello olim moto inter D. Mediolanenſem & Marchionem Montisferrati, ſuccubuit hic illius Armis, non ante Feudo reſtitutus, quam Dux Sabaudiæ copiis auxiliaribus depuliſſet Victorem, in cujus Beneficii Gratiam ſe Marchio, Succeſſoresque ſuos Sabaudo mancipavit in Feudum Ligium.

Obj. (1.) Donationem in ſe ſuaque natura nullam, utpote contra naturam Feudi.

(2.) Eandem vi extortam, cum Johannem ad Festivitatem quandam fraudulenter invitatum in Pedemontio Dux captivum detinuerit, unde Libertati obtinendæ ipse & Pater iniquis conditionibus se submiserint.

(3.) Eam post 30. Annos ab Imperatore Friderico solenniter rescissam.

(V.) Grammond. l. c. aliud addit: Sunt qui credant Montisferratum Dono Guilielmi ultimi ex Palæologa Gente mascula in Sabaudiæ D. translatum.

Fundamentum Mantuanorum consistit in propinquitate Gradus, quod Patruo Johanni Georgio Margaretha Friderici Uxor agnata erat.

Eventus.

CArolus V. Sequester ditiones initio retinet, sed postea si Thuano l 41. p. 256. credas, ne ad partes Gallorum accederet, Mantuano per sententiam addicit, eumque in possessionem mittit: Sabaudo tamen ex testamento Blancæ dotem octogies mille Ducatorum assignat, titulo sine decisione relicto. Ob hoc Mantuanus succensebat, agnoscens relictum a Cæsare frænum suis in obsequio continendis. Sabaudus indignabatur quod pro Meritis & Causæ Justitia tempori Cæsarem aliquid dedisse & potentiæ suæ Mediolano incommodæ incrementa nolle crederet. Itaque ad eundem Cæsarem ab hac sententia Sabaudus appellat, ac Rescriptum obtinet, ne Præscriptio Prætensioni obesset. Sic & Pace Castell. Camer. A. 1559. n. 21. servata Duci sua Jura, & cum ob Casalium ortâ Lite A. 1564. Maximilianus II. nihil in Patrui sententia innovandum duxisset, aliud simile Rescriptum A. 1587. a Rudolpho II. Imper. impetratum, quo Prætensiones Sabaudi non perirent. Demum renovata Lis, cum Franciscus Dux Mantuæ 1612. moreretur, relicta solum filia Maria, successit frater Ferdinandus, sed jam nova materia prætensionis non solum ob Tutelam Mariæ quam Avus Dux Sabaudiæ, quod neptis in sua Potestate esset, ut & Dotem Margarethæ Viduæ, nec non quod ex sententia Caroli V. Dos Blancæ debebatur, ac a Sabaudis ad octingenos mille Ducatos extendebatur, pete-

te-

tebeat, (ſed Imperatoris ſententiâ Tutela Ferdinando addicta) jam verò palam Heredem Montisferrati Mariam ferebant Sabaudi. Confer. de his omnibus Capriat. d. l.. Gram. lib. 1. p. 35. ſeq.

Fundamentum Sabaudorum pro Maria erat Succeſſio Patris in Principatu Montisferrati, qui fatentibus ipſis Mantuanis ad fœminas deferri poteſt. Nec in Jure Naturæ aut Sanguinis aliqua eſt Sexus prærogativa, Conf. Gram. d. l. ubi dicit: etiam pro Maria Juris-Conſultos pronunciaſſe.

Opponebant Mantuani.

1.

LOcum Fœminis non eſſe, niſi ubi Maſculi defecere, quod exemplis Jolanthæ quæ Palæologis atque Margarethæ quæ Mantuanis intulere Succeſſionem probarunt.

(2.) Exempla ſuppetere, ubi Principum filiæ poſtpoſitæ Agnatis proximis, ita Blancam & Jolantham Filias Guilielmi excluſas a Patruo Bonifacio & Margaretham a Johanne Georgio.

Eventus.

REs ad Arma devenit, vid. Capriat. l. 1. p. 72. &c. & eorum Juſtitiam Sabaudus manifeſto Edicto approbare conatus eſt. p. 72. Sed brevi poſt capta in Cæſaris & Hiſpani manus, a quibus Mantuanus reciperet, reſignare eſt coactus l. 2. p. 123. Inde cum prætenſionibus ſuis non pro ſpe reſpondere Eventum Sabaudus intelligeret, a Rege Hiſpaniæ iterum diſcedit, ad Imperatoris cognitionem controverſiam remittere negat, ac demum Mediolanenſem aggreditur, l. 2. p. 136. 139. l. 3. p. 157. Bellum tamen minori Ducis commodo finitum, l. 6. pag. 500. Cum poſt Mortem Vincentii Ducis Mantuani A. 1627. Carolo Gonzagæ Nivernenſi controverſia de ſucceſſione naſceretur & moveretur, acceſſit demum Dux Sabaudiæ, & initio repetita, cum filio Mauritio eam deſtinaret, Gram. lib 18 p. 781. 783. dein neglecta cauſa Mariæ Neptis Montisferrati Principatum dividit cum Hiſpanis, Capriat. l. 10. p. 870. In transactionibus Suſæ A. 1629. cum R. Galliæ ini-

initis primum ei pars Principatus, unde quindecies mille Scutatos annui reditus perciperet (Capriat. l. 10. p. 946. Grammond. 18. p. 790.) addicta, sed mox pace Ratisbonensi. A. 1630. a Cæsare ad Octodecies Mille conditio extensa. Mutatum iterum hoc alio Tractatu Chierascenso interventu Gallorum An. 1631. concluso, ut Duci, qui ita omni Prætensioni reliquæ in Ducatum renunciat cum Trino, Alba &c. loca, ex quibus quindecies mille scutatorum annui reditus colligeretur, nominatim aliquibus cum conditionibus assignarentur. Capriat. l. 10. p. 143. Idem Tractatus A. 1648. Pace Monaster. §. Item Controversia &c. confirmatur, atque de illa Montisferrati parte Sabaudo promittitur Investitura, eademque promissio §. 4. Capitul. Leopold. Imper. repetitur. Falsum est autem quod Spreng. J. Publ. pag. 207. Omnia Loca, Jura & Actiones Montisferrati illa Pace Sabaudo concessa existimat.

PRÆTENSIO SABAUDIÆ DUCIS IN GENEVAM.

Historia.

ANtiqua Allobrogum ad Lacus Lemani terminum urbs est Geneva, jam Cæsaris tempore clara, cui etiam Coloniam Equestrem Romanorum aliqui adscribere volunt. Aureliæ nomen Marco Aurelio Antonino Restauratori creditur debere. Caroli M. tempori adscribere volunt Aquilam Imperialem, qui pro valvis Templi B. Petro dicati visitur, & Argumentum Imperialis Civitatis inde ducunt (uti nunc quoque Aquilæ utitur Insignibus) quod Præfectorum Imperialium Violentiæ passim præferebant Civitates, paruit hæc quoque usque ad A. C. 1535. Quo Petrus Balma Episcopus conscientia facinorum aufugit, unde ad se Populus sui Regimen, quod antea sub Episcopo quoque Syn-

Syndici gesserant (ut ne tum quidem desierit Imperialis Civitas haberi) revocavit. Uti verò olim inter Episcopos & Comites Genevenses, quibus successere Sabaudiæ, Duces Controversiæ sunt agitatæ, ita eædem nunc quoque inter Sabaudum & Rempublicam continuantur. Vid. Thuan. l. 125. p. 725. Urbem Imperii seu Sabaudi Rationes vincant, seu potiores pro Libertate producantur asserit Conring. de Fin. Imp. Germ. c. 25. p. 64.

Fundamenta Sabaudi ap. Thuan. l. 125. p. 725. unde transcribit Limnæus, I. P. 5. 14. 13. seqq. qui pro eo etiam allegat Menoch. 6. Præsumt. 96. n. 6. Tusch. Pract. Concl. Lit. G. concl. 27.

(I.) Petro ultimo Comiti Genevensi A. 1392. successit Humbertus Villarius, & Investituram triennio post a Wenceslao Imp. obtinuit. Hic A. 1400. heredem habuit Ottonem Patruum, qui A. 1401. Hereditatem adivit, sed mox venditionis titulo in Amadeum Sabaudum transtulit. Qui a Sigismundo Imperatore investitus An. 1422. atque ab eodem Imperatore promissum, quia Fiscalis Imperatoris Comitatum vacuum Imperio, & Arausionensis ab intestato heres Petri sibi vindicabant, Amadeo velle tribuere Comitatum, si juxta Imperium pronunciaretur. Hoc factum & publicum confectum Instrumentum. Anno 1422.

Obj. Adversus vetustiora Jura à Wenceslao & Sigismundo nullum Præjudicium creari Ecclesiæ potuit.

(II.) Jam antea omnis Jurisdictio, supremum Dominium & Jura Regia Sabaudis a Cæsaribus in Civitate concessa erant, ut illi ab his constituti Vicarii Imperii ab Episcopis tanquam tales colendi præciperentur. Ita decrevit Carolus IV. A. 1356. Nec minus Appellationes a Genevensibus interpositæ disceptarentur coram Duce. Ita & sanxit Maximilianus Imperator An. 1519. Jure in Comitatum, Civitatem & Territorium Genevæ concesso Sabaudis. Sic A. 1529. Carolus V. mandavit Civitati & Episcopo, ut obsequium Duci deferrent, qui & Vicariatum, aliaque Jura confirmavit. Idem fecere Ferdinandus & Rudolphus Impp.

Obj. (1.) Antiquius Diploma Friderici Barbarossæ repugnat.

(2.) Gratia a Cæsare obnoxio & cognato non auditis Partibus concessa Barbarossæ Judicio solenni præferri nequit.

(3.) Fassus est Carolus IV. se cognati precibus victum indulsisse & quod detrimentosa res esset Imperio, sequenti Anno Dignitatem Sabaudo abrogavit, & pristina Jura tam Episcopo quam Civitati, quam nobile Imperii Membrum vocat, confirmavit, quo Vicarii Dignitas revocabatur, parere Comes A. 1377. coactus, & Instrumentum confectum.

(4.) Cum iterum A. 1400. Wenceslaus eam Dignitatem Amadeo conferret, Episcopis & Civitati sua Jura & Libertates, ut Præjudicium ipsis non fieret, servata sunt; sed A. 1412. & A. 1420. iterum Dignitatem Amadeo Sigismundus ademit, ac, ne quid contra Episcopos & Civitatem Imperii insigne Membrum attentaret, mandavit.

(5.) Maximilianus I. Imp. Carolus V. & Successores non potuere partibus non auditis Genevensium Jura minuere.

(6.) Carolus V. ipse An. 1530. monuit Genevenses, ne quid contra Episcopum, Ecclesiam aut Civitatem a Sabaudo inducti faciant, nec minus decem Annis post eos denuo monuit, Religione jam mutatâ, ut pristinam Jurisdictionem & Libertates à Prædecessoribus Genevæ tanquam Civitati Imperiali concessas tuerentur.

(III.) Leo IV. Pontifex An. 1515. idem Jus confirmavit Sabaudo, unde Balma Episcopus & Successores dein Sacramentum dixere Duci. Sic & Martinus Papa Jurisdictionem temporalem Amadeo Duci concessit, sed possessionem non obtinuit.

Obj. (1.) Leo nec partium Judex est, nec illæ auditæ, sed & astu Diploma emendicatum.

(2.) Jure defecere Civitates & Provinciæ a Pontifice & Episcopis ei subditis, hocque ut facere possent Norimbergæ An. 1532. decretum.

Ha-

(3) Hadriani IV. A. 1157. Sixti IV. A. 1483. Reſcriptis privilegia Genevenſium firmantur. Sic & Felix IV. pridem Amadeus Sabaudus A. 1444. Libertates Civitatis laudat, & copias ſubmiſſas non ex Officii neceſſitate, ſed amice & pro Jure Fœderis & Viciniæ conceſſas interpretatur.

(4.) Epiſcopos Sacramentum Ducibus dixiſſe probari nequit, contraria potius Inſtrumenta ſuppetunt, ſed & Friderici Barbaroſſæ Sententia illi non poſſunt Dominium alienare, quod ſe ſervaturos Civitatis Syndici ſtatim in Inauguratione ſua promittunt.

(IV.) Hiſce Comitum antiquorum Imperii & Pontificum Juribus accedit Exercitium Jurium, quæ in Civitate, hac & Epiſcopo conſentientibus, exercuere Sabaudi, Gubernatores, Judices, Lictores & Apparitores cum Inſignibus Sabaudicis inſtituentes, Palatium & Arcem ibi habentes, Monetam cudentes, Gratiam facientes, Aut. les Eſtats rubr. de Duce Sabaudiæ addit: non licuiſſe pronunciare, nec exequi Sententiam, niſi monſtratam Magiſtratibus, quibus hujus rei commiſſio fuerit data ut, an juſta eſſet, perſpicerent.

Obj. (1.) Nulla in Urbe Arx fuit, & quæ ita nuncupatur pro Carcere publico fuit.

(2.) Quod de Gubernatoribus & Apparitoribus dictum falſum eſt.

(3.) Jus monetæ nunquam in Urbe ſed tantum in S. Gervaſii Suburbio fuit, ut Comites Monetam cuderent ſub Effigie S. Petri, & dimidio Lucro ad Epiſcopum relato, ex quo ipſo apparent Comites Beneficiarii Eccleſiæ. Adde Ludovici Sabaudi Inſtrumenta de A. 1308. & 1343. Sic & proteſtatus Epiſcopus cum Sabaudus Anicii cudendæ Monetæ Jus ſibi ſumeret.

(4.) Reo damnato a Syndicis An. 1433. Thomas Epiſcopus gratiam fecit; Si quid ſimile fecere Sabaudi Epiſcopi ad præſens honorificè illis detulere, ſine Juris perpetui ſequela.

(5.) Nunquam habitarunt in Civitate, niſi precariò & conceſſione ad Tempus, ut Suburbicariæ Regioni, quæ ipſorum erat, Jus dicerent.

rent. Hoc probatum Literis, quibus petebent conceſſionem e-jus. Anno 1460. Anno 1469. Anno 1508. Anno 1517. Addit Auctor Tractatus: Le Cavalier de Savoye &c. qui creditur eſſe Buſetus, documenta, quibus probat, Genevæ Comites Sabaudis ſacramentum dixiſſe ut Beneficiarios, ut Amadeo II. An. 1190. Petro An. 1366. Amadeo Magno An. 1387. Sic & ſexto poſt anno in celebri Germaniæ & Galliæ Conventu, cum diſceptaretur, cui ratione Comitum Genevenſium fides deberetur, pronuntiatum ſecundum Sabaudum. Cum verò Amadeus Genevenſis ſe obſtrinxiſſet Delphino, hunc Juri renunciaſſe, eadem Jura obtinuiſſe a Carolo IV. Sabaudum. Quod verò Amadeus VIII. ab Huberto Villario Comitatum ſibi comparavit An. 1401. & poſtea a Mechtilde, factum ob alios regulos, qui in tractatu illo per proprietatem & ſingularium Rerum poſſeſſionem in dies imminuebant, quos expelli intererat Sabaudi. Fatetur tamen ſemper, Epiſcopos Sabaudis Jus illud ſupremi Dominii controverſum reddidiſſe. Fundamenta Civitatis ap. Thuan. L. 125. p. 726. & ſeqq. & ex eo Limnæ. J. P. V. 14. 13. Extat etiam Tractatus pro Civitatis Jure, Titulo, *Le Citadin* de Geneve.

(I.) Comites Genevenſes (non tam Genevæ quam Genevenſis Territorii, ut patet ex antiquis Documentis) nihil Juris in Civitatem habuere, ſed ſemper Eccleſiæ & Epiſcopis dixere Sacramentum; Civitas verò libera & Imperialis fuit. Ita Fridericus Barbaroſſa A. 1153. Arducio Epiſcopo confirmavit Eccleſiæ Libertates, & in Comitiis nono poſt Anno increpito Zeringenſi Duce, quem Vicarium Imperii conſtituerat, atque Comite Genevenſi, iterum ſupremum Dominium ei & Succeſſoribus attribuit, ita ut ne quidem de conſenſu eorum auferri ab Eccleſia poſſet. Sic & An. 1186. ſententia omnis Ditio Comitis Beneficio Epiſcopi adjudicata eſt; Atque 1398. ſimili Imperatoris Sententia Epiſcopo adjudicata præfectura Ternovia ob non præſtitam ab Humberto Villario fidem & ſoluta debita.

(II.) Sabaudi ipſi tranſegere cum Epiſcopo & ejus ſe profeſſi ſunt Be-

Beneficiarios A. 1219. A. 1255. A. 1290. fidem quoque dedere A. 1396. An. 1405. Cum autem inter Beatricem Genevensem & Amadeum Sabaudum controverteretur de Comitatu, Episcopus utrique negavit Gratiam, donec de Juribus illorum constaret. Thom. Maurian. An. 1211. publico Instrumento profitetur, Regalia Jura ad Ecclesiam spectare.

(III.) Cum Syndici quasdam circa Pontem Arvæ terras emissent, Ludovicus Dux non solum Venditionem ratam habuit, sed etiam in ea, quod habebat Jus supremi Dominii, ultro cessit, quod non facturus fuisset, si cum Beneficiariis contraxisset.

(IV.) Sic & fœdera Genevenses contraxere cum Amadeo An. 1285. & cum Episcopo An. 1307. idem Amadeus & Hugo Delphinus. Sic & consensu Petri Balmæ Fœdus ictum cum Bernatibus & dein Friburgensibus; Cumque Dux compromisisset in Helvetios, Sangallenses, & Valesios, hi A. 1530. pro Civitate pronunciaverunt. Unde cum Franciscus Rex Galliæ una cum Helvetiis & Valesiis impugnaret Sabaudum, inter causas allegata, quod Genevensium Libertatem oppprimeret. Unde A. 1579. Henricus III. renovato cum Berna & Soloduro fœdere Genevam comprehendit & ab eo Reges Galliæ ejus suscepere Patrocinium. vid. Thuan. L. 68. p. 461. Conf. Grammond. L. 13 p. 581.

Obj. Aut. les Estats &c. dicens, ob fœdus cum Friburgensibus Arbitros pro Duce pronunciasse, & Helveticos reliquos Declarationes suas contra Friburgenses edidisse.

(V.) Carolus V. Literis An. 1540. Die 5. Aug. hortatus est Civitatem, ut in Obsequio Imperii maneret, tanquam Civitas Imperialis.

Eventus.

SIcuti tempore Episcopalis Regiminis Sabaudi a Civitate vexanda sibi non temperavere, ita nec deinceps, cum popularis Status introductus esset. Civitas verò fœdere cum Bernensibus & Tigurinis ac demum Patrocinio Galliæ obtento res suas firmavit. De iis quæ acta An. 1589. vid. Thuan. l. 96. p. 682. & seqq. Quæ verò An. 1600. apud eund. l. 125. p. 724. Sequenti Anno dolo Urbem expugnare moliti Hostes, vid. eund. l. 129. p. 884. Inde Pax ad Juliani fanum secuta cujus Articulos citat. Thuan. p. 887. exhibet. Nihilominus per Terralium quæ An. 1609. tentata. vid. ap. Meteran. Niederländ. Histor. lib. 28. p. 151. Ita Prætensio sopita potius quam abdicata credi potest.

PRÆTENSIO REGIS POLONIÆ. IN SUECIAM.

Historia.

REgnum Sueciæ a Pater Johanne mortuo An. 1529. accepit Sigisgismundus pridem Poloniæ Rex, sed ob varias causas A. 1599. Comitiis Stockholmensibus Ordines Sceptrum ab eo ablatum, cum Frater Johannes subterfugeret, Patruo Carolo detulerunt, a quo ad filium Gustavum Adolphum & Neptem Christinam, postquam animitus Carolus Gustavus Palatinus ad Successionem vocatus est, translatum frustrâ hactenus Poloniæ Reges Sigismundus & Filii sibi vindicare studuerunt. Conf. Histor. ap. Thuan. lib. 115. 119. 131. Edidit peculiarem Relationem Jac. Typotius ad Guilielmum a St. Clemente.

Ra-

Rationes Polonorum, quibus Injuria dejectum Sigismundum, adeoque Prætensionis suæ Justitiam probare nituntur, sunt.

(I.) Desitâ Electione, desiit etiam Statuum Consuetudo & Necessitas Regum Potestatem, quod Electis fieri consuevit, legibus circumscribendi, unde Gustavo, Erico & Johanni nullæ præscriptæ, atque ita Præscriptione prior sublata Consuetudo.

Obj. (1.) Successio nec per se mutavit regnandi conditiones, sed ad hoc opus expresso aut tacito Consensu populi. Conf. Thuan. l. 115. p. 288.

(2.) Lex ea vetus disertè in hereditaria Unione adhuc vivo Johanne repetita est

(3.) Adversus laudabile Regnum Gustavi & Johannis non opus fuit multis præsidiis, quæ arrepta forent, si quid illi secus egissent, Erici hoc docet Exemplum.

(II.) Iniquè adactus Sigismundus, quem pridem Sueci Catholicum noverant, a Carolo & Ordinibus ad Leges Libertati Successionis suæ hereditariæ contrarias ineundas, nulli prius Regum præscriptas, de nullo præjudicio Augustanæ Confessioni faciendo, & diversæ Religionis hominibus non admittendis ad Munia

Obj. (1.) Hoc ipso Testamento Gustavi Magni & hereditaria Unione sancitum fuerat.

(2.) Sigismundus Pontificiam Religionem professus vi Testamenti incapax Regni, cum verò benigna voluntate Statuum nihilominus admissus sit, hi sibi æquè suæ Religionis Libertatem servare potuerunt.

(3.) Jam olim Ordines, si quid in Rege novo suspectum erat, novis conditionibus præscriptis, maturè sibi cavere soliti sunt, quod hic quam maximè locum habebat; nec eadem prius necessitas, cum Reges eandem profiterentur Fidem.

(III.)

(III.) Ordines in Regis Jura involarunt, Comitia indicendo, Jurisdictionem sublata ad Regem Provocatione, exercendo. In hoc Instituto, insuper habitis interdictis, perseverarunt, Ministros Regios dejecerunt, Regique Consiliis, Dictis, Factis obstitere violatæ fidei rei. Thuan. l. 115. p. 796.

Obj. (1.) Rex nulla idonea Regni administrandi ratione relicta discessit; quam dein e portu misit Formula multis modis imperfecta inutilis, vitiosa fuit, nullum Gubernatorem Regni moribus necessarium instituens, Carolo Senatores æquali potestate adjungens & Statibus adimens Jura, quæ semper illis competierint. Mithob. 5. p. 55. 56.

(2.) Itaque necessitate coacti Ordines de Regis Reditu nihil certi sibi promittere ausi, Sudercopiam indictis Comitiis, Rempublicam ordinarunt, fide Regi integra, Carolum autem pro Rege Præsidem Regni esse voluerunt. Hæc Arbogensibus Comitiis repetita. Mithob. 5. pag. 57. Conf. Thuan. l. 115. pag. 286. 287. L. 119. pag 469.

(3.) Ordinibus semper conveniendi Libertas integra, nec Regis Jura imminuit. Exempla etiam Germania & Polonia habet.

(4.) Novæ Constitutiones a Carolo non factæ, sed veteres revocatæ in usum.

(5.) In Suecia præsente etiam Rege illa est Comitiorum Auctoritas, ut Decreta horum non Regis, nisi tacita, sed Ordinum Auctoritate expediantur & promulgentur.

(6.) Inhibita non Relatio sed Appellatio ad Regem, quoad ille nullo modo Suecico JCto instructus in Polonia abesset, ne Causæ ad peregrinum Forum traherentur.

(7.) Regiis Mandatis parendum non fuit, cum is in Jura non sua involavit, & eatenus nullum habuit Imperium. Conf. Grot. de J. B. & P. L. 1. C. 4. §. 13.

(IV.) Carolus cuncta ad Libidinem gessit, in Regni Administrationem

nem involavit, exclusis Senatoribus in se solum Auctoritatem conferre conatus est, a Rege Populi Animos abalienavit, adhibito Ordinum, qui vel non interfuerunt vel Metu aut Fraude in partes pertracti, imaginario Consensu, Thuan. l. 115. p. 286.

Obj. (1.) Calumniosè hæc Carolo objiciuntur non minus ac alia, quorum non convictus est, Thuan. l. 121.

(2.) *Ipse* Johannes Rex Carolum per Filii absentiam Pro-Regem esse Testamento jussit. Sudercopingensia Comitia idem ei Munus detulere, & ut depositum reciperet Anno 1597. Arbogensia impulere.

(3.) Si regnandi avidus fuisset, prius delatum Sceptrum acceptare poterat, vid. Typot. ap. Thuan. l. 131. p. 983.

(V.) Rex ubi in Sueciam, Satellitio e subditis collecto, tum Honoris causa, tum ne Caroli Injuriis obnoxius esset, munitus venit, tanquam Calmariensi porta portuque clausus habitus est, & post Lincopiense prælium Regiis per Induciarum speciem repentina Irruptione oppressis infelix ad Conditiones iniquas adactus, quibus obligari non debuit. Unde Stocholmiam cum iturus esset, Tempestate Calmariam rejectus est, & alioquin in Comitiis ludibrio, utpote sine potestate futurus, non tamen animo Regni deserendi in Poloniam rediit. Conf. Thuan. l. 121. p. 566. & 567.

Obj. (1.) Satellitio plura peregrinorum Militum millia non fuere necessaria.

(2.) Non negatus Regi, si ab vi abstineret, suus Honos & Obedientia, & omnia tentata Media, ut Res transigeretur amice, Rege non audiente Conditiones.

(3.) Post Victoriam etiam Carolus omni Cultu eum prosecutus est.

(4.) Lincopenses Conditiones nil novi nec iniqui habuere.

(5.) Metus, si quis adfuit, non injustus fuit, nec Regibus ab his promissis Restitutio conceditur.

(6.) Quæ de animo Caroli & Subditorum in se Sigismundus suspicatus, vana fuere. Diffidentia verò non Regum sed Tyrannorum proprium.

(7.) Discessus causâ frustra Tempestas prætexitur, & hoc quoque Rege indignum fuit, quod ante Reipublicæ turbatæ Quæstionem e Regno insciis Proceribus discessit.

(VI.) In propria Causa Judices esse non debuere Sueci, nec Homagio obstricti illo se vinculo liberare.

Obj. (1.) In omni Regno, ubi adstricta Imperantium potestas, Judicium universis Ordinibus debetur. Arbitros non semper Commoditas vel Necessitas permittit.

(2.) Ipse Sigismundus arbitros, de quibus convenerat, licet sæpe rogatus, convocare supersedit.

(3.) Suecorum Homagii Juramento Regis & Pacto tanquam Conditioni innixi, hoc violato, Obligatio desiit.

(VII.) Saltem Sigismundi Liberi innoxii præteriri non poterant, nec iniqua Conditione gravari Uladislaus.

Obj. (1.) Succedunt Liberi Parentibus in eo statu, in quo tempore Mortis fuere, unde quæ amissa prius, etiam sunt amissa Heredibus.

(2.) Nullibi Liberi nisi in patrimonialibus Regnis Jus proprium habent, sed tantum a Parentibus, adeoque post horum fata.

(3.) Jus Feudale huc non trahendum.

(4) Waldemaro & Magno Regibus abdicatis, Sueci jam olim noluere Liberos succedere.

(5.) Uladislao certa Conditione non iniqua sed innixa Testamento Gustavi oblata Corona, quam noluit accipere. Unde Jure tota Progenies Sigismundi Comitiis Lincopensibus A. 1600. exclusa. Johannes ultrò A. 1604. & A. 1606. cessit suo Jure. Thuan. l. 131. p. 986.

Fun-

Fundamenta Suecorum quibus factum tuentur ap. Hect. Johann. Mithobium de Controversia Sueco-Polonicâ.

(I.)

NIsi Reges faciant, quæ ante Inaugurationem Juramento promisere, Jus & potestas Ordinibus Sueciæ superfuit, Vi & Armis rescindendi & Obedientiam negandi, quæ non solum aliarum Gentium ratio est, cum non temerè credi possit, aliquam absoluto Imperio ejus se subjecturam fuisse vel tolerare voluisse, quem publicam Utilitatem vel omninò vel præcipuè non putassent curaturum. Verum etiam in Suecia Exempla suppetunt Rechwaldi, Suercheri, Waldemari, Birgeri, Magni Schmeck, Alberti Megapolitani, Erici Pomerani, Christiani, Johannis, & Christierni II. Danorum oppugnatorum, cæsorum, solio dejectorum, pulsorum. Recens etiam est Exemplum Erici. Nec a Polonorum Moribus hæc abludunt.

Obj. (1.) Mutata Conditio Regni cum Electivum Regnum fieret Hereditarium.

(2.) De Exemplorum Justitia etiam quæri potest.

(3.) Adversus Imperantes Subditorum Vis semper injusta. Grot. de de J. B. & P. l. 4.

(II.) A Sigismundo, qui diu ante Ordines missis Literis Leges patrias sæpe agnoverat, & ad confirmandam Obligationem ex hereditaria Unione A. 1590. tenebatur, post multas Tergiversationes ante Coronationem data Ordinibus Fides & Leges Juratæ. Thuan. l. 109.

Obj. Ad hoc quoque Juramentum cum Injuria coactus est Sigismundus, quod a Decessoribus non exactum.

(III.) A Rege adversus hoc Juramentum multa designata, cum Religioni præjudicium faceret variis modis (ne plura auderet, Facultas & Occasio tantum Principi in Religionem Pontificiam singulari Zelo ar-

ardenti deficere videbatur, Mithob. c. 2. p. 14. 22. c. 5. p. 62.) Ordines & Carolum ab Uſu Juriu m ſuorum arcere vellet, ad ſe omnem poteſtatem traheret, non ordinatâ Republica diſcederet, Sudercopenſia Comitia & Statuta impugnaret, ac ita hoc abſens auderet, quod non licet præſenti facere Regi. Adde Vitæ Caroli Inſidias ſtructas, Exercitum invadendæ Sueciæ in Finnonia ſuſtentatum, Provinciales a Milite vexatos & crudeliter habitos, Eſthoniæ Alienationem tentatum, Moſchis traditam Kexholmiam. conf. Thuan. l. 115.

Obj. Alia calumnioſè affinguntur Sigismundo aut ſuſpicionibus vanis nituntur aut Jure Regio facta ſunt ſine vitio.

(IV.) Ingreſſus in Regnum hoſtilis, An. 1589. Caroli Sectatores proſcripti, Finnones & Eſthones in Sueciam evocati, Conditiones rejectæ, Lincopienſia Pacta, quibus, Parti a Conventione recedenti ut altera reſiſtere poſſet, ſancitum, iterum violata, Diſceſſus Fugæ ſimilis, quem Poloni etiam in Henrici Galliæ Regis Abdicatione ulti ſunt. Inde adhuc Calmariæ relictum Præſidium a quo multa hoſtilia patrata facinora vid. Thuan. l. 121.

Obj. Suæ ſecuritati quod Rex proſpexit, quod iniquis Conditionibus teneri noluit, & demum periculo, quod Stocholmiæ a Carolo imminebat, ſe ſubduxit, nemo Jure reprehenderit.

(V.) Regis, Decreto Comitiorum Lincopenſium & Stocholmienſium ad redeundum, niſi regno excidere nollet, aut Filium in Sueciam in Religione Evangelica educandum mitteret, vocati Contumacia & Animus in Suecos hoſtilis varia ratione, captis, detentis eorum Navibus, Commerciis prohibitis, Factionibus ſuſcitatis, Rebellionis crimine objecto, Vicinis in eos concitatis, demonſtratus. vid. Thuan. l. 121. p. 573.

Obj. (1.) Illuſoria Regis Evocatio nullis miſſis Navibus, ſine milite, nulla ſecuri Adventus Cautione interpoſita & ut perpetuò *ibi* maneret (NB.) hanc Conditionem a ſe appoſitam Sueci negant.

(2.) Conditio filio præſcripta iniqua.

(3.)

(3.) Quæ Acta, non Hostis, sed Regis suos ad Obsequium reducturi Animum ostendunt.

(VI.) Regni Jure in Carolum translati in posteros ejus legitima Transmissio.

Obj. Non justior Successorum, quam quem a Carolo accepere, Titulus esse potest.

Eventus.

CUm ita Regi renunciassent Sueci, Arma utrinque publicè sumpta, & inprimis in Livonia gestum Bellum variante fortuna, dum Carolus viveret, qui se tamen ad Pacem obtulerat. Thuan. l. 158. p. 1247 1248. sub Gustavo Adolpho filio An. 1618. de Induciis in Biennium convenit. Inde A. 1621. Riga cum multis aliis in Livonia ab eodem, dein quod reliquum fuerat An. 1625. capta, ac in Borussiam Anno sequenti Arma translata. Fervebat, altero in alterum Causam Pacis non evalescentis rejiciente, Bellum, donec An. 1629. in Sexennium, medias partes suas interponentibus Gallo, Anglo & Brandenburgico, Induciæ conclusæ. Has A. 1635. in 26. Annos Uladislaus & Christina produxere. Cum vero An. 1655. novum Bellum exarsisset inter Carolum Gustavum Sueciæ & Johannem Casimirum Poloniæ Reges, renovata omnium Litium Memoria, magnis bellum illud Viribus, Animisque gestum usque ad Anno 1660. quo Pax in Monasterio Olivensi ad Dantiscum feliciter conclusa est & finita Prætensio.

(o)

PRÆTENSIO REGIS POLONIÆ. IN LIVONIAM.

Historia.

Livonia in Esthoniam, Lettiam atque Curlandiam (quam a Seculo IX. Auctor Vitæ S. Angarii & adhuc suo tempore Anno 1077. Suecis paruisse, Ad. Brem, apud Grot. in Proleg. ad Histor. Goth. p. 100. testantur) divisa, cum semel Germanis innotuisset, postea introducta Religione Christiana sub Imperatoris Germanici fide Archiepiscopo Rigensi atque, qui Libertate a Borussiæ Magistro sibi ære parata A. 1513. Principibus Imperii annumerari cœpit, Magno Magistro Ordinis Livonici, inter quos continuæ ferè Contentiones fuerunt, paruit. Mutationi tandem Moschus Occasionem dedit, cum A. 1557. ob negatum Tributum & alias, ut causabatur Induciarum Conditiones non servatas, Bello Provinciam adoriretur, & ab Imperio frustra Auxilia expectarentur. Unde alii alia subsidia quærere coacti, Revalia Suecis se permisit, Osiliensis & Curoniensis Episcopus Danis, reliqua Polonis, qui tamen universam Provinciam (in quam Jus Imperio non amplius superesse fatetur Dn. Conring. de Fin. Imp. Rom. Germ. c. 29. p. 828.) deberi prætendunt.

Prætendunt Poloni.

(1.)

Esthoniam, quod Revalia subjecta Magistro Ordinis Livonici, non habuisse potestatem se a reliquo Corpore seperandi; unde Jus a Magistro cessum Polonis illam etiam complectitur. Cum Moschi Pacem facerent Anno 1582. universam Livoniam, atque ita in hac Esthoniam Polonis cessere. Conf. Thuan. l. 88.

Obj.

Obj. Vid. Hect. Joh. Mithob. Controverſ. Sueco-Polon. c. 2.

(1.) Revalia cum Horria & Weiria ſe Anno 1561. Suecis permiſit, apud Thuan. l. 26. quod non modo alias omnibus licuit, ſed & hic factum eodem Jure, quo reliqua Livonia inconſulto Imperatore, ſupremo Magiſtratui Poloniæ acceſſit.

(2.) Revalenſium Deditio pluribus Menſibus ante facta, quam Polonis ſe permitteret reliqua Livonia.

(3.) A Magiſtro Livoniæ etiam requiſito nulla obtinere potuere Auxilia; ſed nec a Polonis certa ſperari poterant, qui poſteà quoque Eſthoniam reliquam & Lettiam ab Hoſte miſerè vexari paſſi ſunt. Pacem autem ab illo & Reſtitutionem Provinciæ ſine Suecis non impetraturi fuerant. Poſtea quoque adverſus Moſcos Bellum ad hoc gerendum fuit. vid. Thuan. l. 96. p. 722.

(4.) Reliqua Eſthoniæ, quæ liberare Poloni neglexerant, & pleraque ante Moſcorum invaſionem nunquam in Polonorum venere poſſeſſionem, bello juſto Moſcis extorſit Johannes Rex Sueciæ A. 1581. qui non alia conditione in Belli Societatem venit, & diu Hoſtis Impetum ſolus ſuſtinuit. vid. Thuan. l. 76. p. 803.

Exc. Stephanus ab Invaſione Johannem, qui Arma in Moſcos vertenda in ipſam verterat Livoniam, maturè dehortatus eſt. vid. Thuan. l. 76. p. 803.

Reſp. Stephanus durante Bello in Eſthoniam nullius ſui Juris mentionem fecit, potius de Waſemberga & Tolsberga receptis gratulatus eſt, vid. Thuan. l. 76. p. 801. 802. 803.

Exc. Contrarium modo allatum eſt.

(5.) Livoniæ Tutela a Carolo V. Ferdinando I. & Maximiliano II. commendata Suecis, tandem etiam illis facta poteſtas vicini Principis Patrocinium ambiendi, Thuan. l. 88.

(6.) Ut maximè Jus fuiſſet Polonis in Eſthoniam, bello tamen a Moſcis erepta & a Suecis recuperata his ceſſit (conf. Grot. de J. B. & P. L. 3. c. 6. §. 7.) ſaltem quousque Impenſæ redderentur. Adde & Prætenſionem Dotis ap. Thuan. l. 76. p. 802.

(7.) Mosci quod amiserant, non iterum Pace cedere potuere Polonis.

(8.) Ipse Sigismundus de adjungenda Poloniæ Provincia sæpè compellatus Regno carere quam Conditionem inire maluit. Thuan. l. 88.

(9.) Si tandem consensisse detur, pactio adversus Leges Regni & Avi Testamentum nullius potest esse valoris, & Juramento se obligavit, ne faceret, Thuan. l. 88. p. 1357. & causa hæc addenda foret & aliis, ob quas Regno exutus est.

(II.) In reliquam Livoniam, quod hæc Sigismundo Augusto Regi & Reipubl. Polonicæ se subjecit, deserta ab Imperio. vid. Thuan. l. 28.

Obj. Vid. ap. Mithob. d. l. c. 3. p. 42.

(1.) In Livonia summa vi Suecos adortus est Sigismundus Rex abdicatus, itaque Provinciam hostilem occupare jure Belli potuere Sueci, quod inprimis. A. 1621. & A. 1625. factum. De Causæ Suecicæ Justitia alibi agitur.

Except. Injusta Suecorum adversus Regem suum Arma nihil acquirere Regno suo potuere.

(2.) Quæcunque in Bello solenni occupantur, Victoris Dominio J. G. cedunt. Grot. de J. B. & P. III. 6. 2.

Eventus.

PActis in Sexennium Induciis A. 1629. utrique in id Tempus Parti relicta quæ tenebant, nisi quod Curlandiam restituere jussi Sueci. Meteran. Niederländ. Histor. l. 46. p. 644. Idem ferè tenor fuit Induciarum A. 1635. in 26. annos protensarum. Tandem A. 1660. Olivensi Pace Prætensio finem accepisse apparet.

CON-

CONTROVERSIA BREMENSIS inter Regem Sueciæ & Civitatem Bremensem.

Historia.

VEtus Saxoniæ Urbs Brema ab Imperatore Carolo M. Anno 788. Ecclesiæ Ornamento decorata est. Intercessere posteà Civitati non rarò Contentiones cum Episcopis, cum hi plura sibi vindicare haberent in animo quam illis deberi Civitas existimavit. Superiori Seculo ob Fœdus Smalcaldicum, cui dederat Nomen, iterum ei cum Archiepiscopo Controversia, unde in Conditionibus ab Imperatore An. 1550. propositis ap. Sleidan. l. 22. p. 685. ut cum Archiepiscopo suo transigerent, injungitur. Inprimis A. 1639. inter Archiepiscopum & Civitatem de Civitatis Imperii Titulo disputari cœpit, quæ Controversia dein amplius agitata, cum ad Monasterienses Tractatus Urbs admitteretur, maxima ex quo A. 1648. Bremensis Archiepiscopatus Sueciæ Coronæ transcriptus. Status Controversiæ præcipuè est:

An Immediata Imperii Civitas sit, utrum Municipalis & Subdita Archiepiscopatui seu Ducatui?

Fundamenta Suecorum ratione Bremensis Principatus sunt ap. Limn. T. 1. J. P. ad. 7. 7. p. 202. 203. & ex eo Knipschild. de Civitat. Imp. 2. 6.

(I.)

IN Fundatione Episcopatus Episcopo concessa Jurisdictio & Superioritas.

Obj. Fundationi hoc adjectum negatur, nec ipsa Fundatio secum fert, exemplo aliarum Civitatum Imperii.

(II.) Homagium Archiepiscopo præstari solitum.

Obj. (1.) Homagium non esse simpliciter & absolutè Fundamentum Superioritatis Territorialis. Reinking. de Regim. Secul. d. 53. n. 33.

(2.) Homagium esse conditionatum, & ante illud Archiepiscopum promittere, ne Juribus ejus obsit, sed & præstari tantum a duobus Camerariis ex Senatu sola Manus Elevatione.

(3.) Formulam Homagii de Fidelitate, non de Subjectione, a tempore Gerhardi Archiepiscopi, cum quo ita convenit.

(III.) Titulus dari solitus Archiepiscopo: Lands-Herr, Lands-Fürst & Bremensibus gehorsame Unterthanen.

Obj. (1.) Titulus Curialis non potest in Præjudicium Imperii latius extendi.

(2.) Intelligendum de ditionibus, quas Civitas in territorio Archiepiscopali possideat.

(IV.) Confirmatio Privilegiorum ab Archiepiscopo fieri solita.

Obj. (1.) Præcipua Jura & Privilegia Civitatis ab Imperio esse, Archiepiscopum tantum Reversales dare, ea Urbi salva fore.

(2.) Alia Privilegia confirmari ab Archiepiscopo, quæ respiciant Ditiones in illo Principatu sitas.

(3.) Privilegiorum Confirmationem vel Concessionem non arguere subjectionem.

(V.) Reversales Civitatis datæ A. 1246. Archiepiscopo Gerhardo, quibus Jura Archiepiscopi agnovit, & nihil in contrarium moliri velle testata.

Obj. (1.) Nullibi eas extare Reversales, nec ab alio quam Friderico ultimo Archiepiscopo Antecessore allegatas.

(2.) Contrariam tot seculorum Observantiam, si quævis fuisset, eam sustulisse,

(3.)

(3.) Alias contrarii tenoris antiquiores æquales & recentiores extare Reversales.

(VI.) Transactio cum Hilleboldo Archiepiscopo Anno 1529. facta.

Obj. (1.) Ejus nullum dari Authenticum.

(2.) Nec ex illis, quæ allegantur, probari Superioritatem, quia similia & majora in aliis Civitatibus habeant Principes, quæ tamen sine Controversia libera.

(VII.) Advocatus ab Archiepiscopo in Civitate dependens, & Jurisdictionem in Civilibus & Criminalibus Causis exercens.

Obj. (1.) In Criminalibus Advocati non alias esse partes, quam ut condemnationis in maleficum Sententiam a Senatu latam & sibi intimatam percipiens, ac, ut Judicio intersit, rogatus, ex malefico Confessionem iterum ipse intelligat, atque deinceps Carnifici, cui itidem Mandatum a Senatu datum, Executionem committat. Unde ei nec prius Cognitio, nec Judicium, nec absolutè Executionis Potestas conceditur. Conf. Privilegia de A. 1541. ap. Limn. T. IV. ad. 7. 7. p. 193. In Civilibus planè nullas esse ejus partes: nisi quod olim rogatus nonnunquam dederit Arbitros, a quibus ad Senatum provocari poterat, sed hoc etiam obsoletum.

(2.) Jus Advocatiæ Superioritatem non inducere, quod exemplis doceri potest.

(VIII.) Archiepiscopus a Senatoribus pro ordinario Judice agnitus, & ad eum Exceptione Fori declinatoria provocatum. conf. Limn. d. l.

Obj. (1.) Minorem partem Senatus in Schismate agnovisse Archiepiscopum Judicem ordinarium; Majorem Exceptiones declinatorios objecisse. Cæsarem etiam revocasse prius factam ad Archiepiscopum Remissionem.

(2.) Cæsareum Privilegium Henrici V. ap. Limn. T. IV. p. 175. ad. 7.7. quo prohibetur Brema aliò vocari, si coram Archiepiscopo

Judicium subire velit, Libertatis esse non coactivum. Unde Ordinarius Judex erit ille, si Civitas coram illo se sponte sistat.

(3.) Transactionem Verdensem, An. 1568. tempore turbulentissimo factam, qua causæ, ex quibus metuatur Seditio aut motus, jubentur ad Episcopum deferri, non posse Civitati præjudicare & Imperio, voluntariam potius Jurisdictionis Prorogationem quam ordinariam Jurisdictionem inferre, & contrariâ Observantiâ ac Libertatis Continuatione rejectam & abolitam.

(IX.) Transactio cum Archiepiscopo A. 1597. Stadæ inita.

Obj. De hoc nihil actum, in Senatus non esse potestate & contra praxin notissimam.

(X.) Transactio Stadæ A. 1639. facta.

Obj. In ea multa conatos Legatos Danicos, sed declinata a Bremensibus omnia; hoc solum concessum, quod secundum Homagii tenorem Archiepiscopum pro Clementissimo Principe Territoriali suo agnoscere velint, servatis Civitatis Juribus. Et hoc sensu se illud intelligere, ipsos esse Legatos Regios testatos, & Deputatos coram Notario & Legatis protestatos. Conf. Transact. Formul. ap. Limn. d. l.

(XI.) Senatus comparere in Diætis Provincialibus ab Archiepiscopo indictis, Curiæ & Judicio Provinciali assidere, & inter Status liberos Archiepiscopatus referri solitus.

Obj. Fieri hoc non respectu Civitatis sed ratione bonorum in Principatu sitorum.

(XII.) In Matricula de A. 1521. ratione Quotæ conjungi cum Archiepiscopo.

Obj. (1.) Conjunctionem illam non arguere subjectionem.

(2.) Alibi separatim legi, sed & ubi conjunctim legatur, iterum separatim repeti.

(3.) Alia ſimilia Exempla extare in iis, de quarum Libertate non ſit Lis.

(4.) Tales Conjunctiones factas inſciis & abſentibus Civitatum Deputatis, nec illis præjudicare, qui in poſſeſſione Libertatis ſunt.

(XIII.) Non ante An. 1641. ad Comitia vocatam.

Obj. Olim ſemper vocatam interfuiſſe.

(XIV.) A Carolo V. profecta Caſſatio aliquot Privilegiorum in præjudicium Archiepiſcopi obtentorum facta A. 1544., & a Maximiliano II. Imperatore renovata.

Obj. (1.) Revocationem factam Civitate nec vocata nec citata.

(2.) A Carolo V. A. 1554. in Comitiis omnia iterum optimâ formâ reſtituta.

(3.) Hactenus a reliquis Imperatoribus confirmationem ſemper obtentam.

Fundamenta Bremenſium in Vortrab gründlichen wahrhafften Berichts und Gegen-Remonſtration von der Stadt Brehmen Beruffung/ Seſſion und Voto &c. ap. Limn. T. IV. ad. 7. 7. p. 202.

(Exceptiones mihi ad illa non viſæ.)

(I.)

Civitas hactenus libero Jure Regimine Eccleſiaſtico & Politico uſa absque Archiepiſcopi Interventu, in conſtitutione Magiſtratuum, Legislatione, Jurisdictione, mero & mixto Imperio, munitione Civitatis.

(II.) Varia Jura & Regalia a Cæſaribus obtenta in terra & flumine Vi-

ſurgi, in quibus Jurisdictio, Pacificatio, & Protectio Viarum Regiarum & Fluvii in Mare uſque, Jus Monetæ cum Inſcriptione Reipublicæ Bremenſis & Signo Aquilæ Imperialis, Jus Conductus, Stapulæ. &c.

(III.) Civitas in Camera Imperiali in prima & ſecunda Inſtantia conveniri ſolita, & privilegium Caroli V. de non appellando, niſi ſumma excedat 600. Aureos Rhenanos.

(IV.) Matriculæ de Annis 1431. 1467. 1471. 1480.

(V.) Vocatio ad Comitia, & Seſſio ac Votum conceſſa ab antiquo, ut A. 1473.

(VI.) Subſidia a Civitate immediatè petita & ſoluta.

(VII.) Executio Sententiarum Cameræ aliquoties Civitati cum aliis Statibus Imperii demandata.

(VIII.) Fœdera cum aliis & ipſo Archiepiſcopo contracta.

(IX.) Subſcripta A. 1532. Pacific. Norimberg. cum aliis ap. Hortleder. l. 1. c. 10.

(X.) Titulus Civitatis Imperialis jam olim ab Imperatoribus, Principibus & Statibus Imperii tributus.

(XI.) Præſumptio, quæ ſemper eſt pro libera Imperii Civitate.

(XII.) Saxonum Civitates a Carolo M. ſemper omni Libertate donatæ, Epiſcopis adjunctis, qui Paſtorali Munere fungerentur. Nicolaus Papa ſeverè reprehendit Ansgarium Epiſcopum, cum ſe civilibus Negociis immiſcuiſſet.

(XIII.) Statua Rolandina inſigne Libertatis, Crantz. Saxon. 1002. in foro collocata, cui etiam Henricus V. per Diploma Ornamenta addi permiſit. ap. Limn. l. c. p. 167. Conf. p. 173. Strauch- Diſſert. Exot. 1. n. 26. p. 40. 41.

Eventus.

CUm in Tranſactione A. 1639. n. 11. hic Articulus non omnino expediretur, ſed partibus ſua ſervarentur Jura, Imperator illam tanquam

quam Imperii Civitatem A. 1641. ad Comitia, & A. 1645. ad Tractatus Pacis vocavit, & A. 1646. Diplomate Civitatem Imperii immediatam & liberam ab antiquo fuiſſe declaravit, & ut poſthac ſemper vocaretur edixit A. 1647. quotam Anni 1671. nempe 16. Equitum & 32. Peditum confirmans. Pace Oſnabrugenſi Civitati præſens Status, Libertas, Jura & Privilegia ſervata (conf. de Diſputatione ob Vocem Territorii & Subditorum, nec non præſentis Status, Limn. l. c. p. 109. 110.) A. 1653. Sueci ejus admiſſioni ad Seſſionem & Suffragium in Comitiis Ratisbonenſibus acriter ſe oppoſuere, ſed cum idem Status poſt Deliberationem in Comitiis Ordinum habitam ſenſiſſent, Cæſareo Decreto admiſſi ejus Plenipotentiarii. Ex eo armis egere cum Civitate Sueci, donec in Novembr. A. 1654. Stadæ Pax redintegraretur; In illis Tractatibus Art. 1. de Immedietate & tit. Civitatis nihil expediri potuit, ſed cuique parti ſua Jura relicta, donec de illis tranſigi poſſet, quousque ab omnibus hoſtilibus factis utraque pars abſtinere juſſa. Sed & de 4. Præfecturarum interiorum Suburbanorum (die 4. Gohnen) cauſa cum Civitas æqui ac Sueci in illas ſibi Jus territoriale attribuant, ad alios Tractatus §. 10. remiſſa eſt.

CONTROVERSIA
inter
Duces Brunſvicenſes & Civitatem.

Hiſtoria.

Brunſviga vetus Saxoniæ Urbs varios pro diverſis partibus Conditores habuit. Ea Ottonem Lunæburgi Principem adverſus præſidiarium Militem, qui Nomine Friderici II. Imp. Arcem tenebat, admiſit, & certis pactis Familiæ Ducum, ex quibus hic Otto I. Titulum geſſit ſe obligavit. Interceſſere dein haud ſemel Controverſiæ Ducibus & Urbi, quæ A. 1492. in Bellum erupere. Iterum cum A. 1542. Ci-

Civitatem ſociam non ceſſaret Rapinis vexare Henricus Junior, Smalcaldici eum Ducatu pellunt. Conf. Sleid. l. 14. p. 410. Hic iterum Urbem obſidet, ſed Cæſaris juſſu Arma depoſita. Recruduere ſæpius Controverſiæ, ut A. 1605. Henricus Julius, cum Aſtus non ſucceſſiſſet, Vim denuò tentaret. vid. Thuan. L. 133. p. 1064. nec Conditiones, quas deinde propoſuit Dux, Civitas accepit. p. 1069. Conf. Meteran. Niederländ. Histor. T. 11. l. 26.

Itaque A. 1615. Fridericus Ulricus cum Hannoverani Tractatus non ſucceſſiſſent, obſidet Urbem, cujus ab Imperatore Proſcriptionem impetravera & procuraverat.

Obſidio ubi non ſucceſſit, ad Tranſactionem deſcenderPe artes, quæ ap. Limn. I. P. 7. 9. 5. & Meteran. T. II. l. 32. p. 579. & ſeqq. legi poteſt.

Statum Reipubl. mixtum attribuit Limn. I. P. T. IV. addit. ad. 7. 9. p. 215. Sic & Knipſchild. de J. Civit. Imper. eam annumerat illis, quæ certa Conditione aliis ſubjectæ ſunt.

Fundamenta, quibus Civitas Libertatem ſuam fulcit, recenſentur a Johanne Dauthio inter Conſilia Klockii T. 3. Conſ. 134. Unde in Compendium redigit, ſed pluribus diſtinguit Numeris Knipſchild. de Civit. Imp. 4. 1. 25. ſeq. Conf. Limn. I. P. 7. 9. 3. ſeqq. Hortleder. L. 4. de Cauſ. Bell. Germ. c. 2. & 5.

(I.)

Civitas eſt libera ob merum & mixtum Imperium, omniaque etiam ſublimis Status Regalia (quæ nunquam ab alio quam Cæſare dependent) cùm ratione Dependentiæ immediatæ, tum ob perfectum ſta-

ſtatum in libero Conſulari & Senatoris Regimine (Civibus Magiſtratui ſoli Homagium præſtantibus) & Jure Præſidiorum & Tutelæ Armorumque conſiſtentem. Hiſce Juribus eſt maxima Saxoniæ Matricum Rerumpubl. & quidem Dignitate originaria & primaria (quod Carolus M. non dedit ſed confirmavit Saxonum Jura, apud quos penes Civitates omnis eſſe ſolebat Jurisdictio) unde Urbs ante Ducatus Brunſvicenſis fundationem Metropolis fuit, ut præſidia Imperialia depellere, & Ottonem puerum cum Exercitu venientem ſecundum pacta libertatum conſervativa recipere ac defendere potuerit.

Obj. Sub Principibus Imperii etiam Civitates Regalia tenere poſſunt, nec tamen propterea ſunt immediatæ.

Except. Urbis hujus, utpote unius ex Matricibus Saxoniæ, Jura Ducatu ipſo antiquiora, in Diplomatibus Ducum Brunſvicenſium, ubi Civitati conceſſa Jura enumerantur, nulla mentio Status aut Regalium, quæ propterea a Ducibus non habent, ſed & Regalia immediatè ab Imperio dependent.

(II.) Fuit per duo Secula in Matriculis, & ei certa impoſita Collecta. Nam tempore Ludovici Bavari fuiſſe in hoc Numero apparet ex Diplomate ejus (licet Cæſar Magno Duci propinqua Cognatione eſſet conjunctus) quo ab ordinariis muneribus Imperii eximitur. Inde adhuc legitur in Matriculis ſaltem ſub Ducum collectis, vel in genere vel in ſpecie hujus Civitatis facta mentione. Municipalium autem Civitatum nulla plane mentio fieri ſolet, nec de illis ad Expeditionem Romanam juſtè aſſignari. Separatim verò legitur in A. 1431. 1466. 1471. 1480. Sed hactenus quoque Urbs in poſſeſſione Juris immediatè penſitandi Imperio manſit.

Obj. (1.) In Matricula d. A. 1421. Civitas inter Imperiales non comparet.

Exc. Civitates huic Matriculæ, cui non adhibitæ, ſe oppoſuere.

(2.) In aliis Matriculis de A. 1487. 1489. & ſeqq. addita Civitatis Quota Duci.

Exc. Unio illa non facta ad suppressionem & extinctionem Juris Status sed ad expeditiorem solutionem. Sicut eadem ratione Principes unius Familiæ possessori primariæ Sedis jussi exhibere Quotas.

(3.) Ad Comitia Imperii jam diu esse, quod non vocetur.

Exc. Nihil hoc libero & immediato Statui præjudicat. Dauth. d. 1. præmiss. 1.

(III.) Diplomata Cæsarum hucusque omnium, quibus confirmant liberum Reip. Statum, & eum Imperio in Servitiis & Pensitationibus reservant, speciem Homagii & Recognitionis ac Dependentiæ immediatæ habent.

Obj. Non alium confirmant Statum Urbis Imperatores quam qualis pridem fuerat.

(IV.) Specialis Recensio Libertatum, eundem Honorem vindicat Brunsviga, quales sunt

(1.) Dignitas Metropolitana, nam Metropoles sunt Capita Juris, non tantum Jure Cæsaræo sed & Saxonico, ubi a Civitate ad Civitatem usque ad Metropolin provocatur, antequam appelletur ad Cæsarem.

(2.) Liberum Senatorium & Consulare Regimen cum annexis Regalibus.

(3.) Jus Armandiæ, Lustrationum, Delectuum &c.

(4.) Electio Magistratuum propriorum, qui omnimodam Jurisdictionem exercent, sine ullius Concursu, vel, si Cæsarem excipias, Confirmatione.

(5.) Jus statuendi vel Legis rogandæ sine Ducum Licentia.

(6) Jus cudendæ Monetæ cum Symbolo duarum Aquilarum.

(7.) Immediata Solutio Collectarum a tempore Ludovici Bavari & amplius.

(8.) Jus Fisci & Multarum.

(9.)

(9.) Jus Civibus præter ordinaria Munera in necessitate extraordinarias Collectas imponendi.

(10.) Jus Salvi Conductus, de quo etiam transactum A. 1553. A. 1559. Art. 14. Ubi Principes tantum Reges & Electores excipit, quos cum Civitate conducere velit. conf. 16. Clausulas Civitati proficuas.

(11.) Omnis generis Vectigalia in Civitate & Territorio.

(12.) Ex Jure Saxonum immediata ad Cameram a Civitate Provocatio, quæ pacto A. 1569. restricta, sed extra Pacti fines salva est.

(13.) Jus Fœderum, ex quo inter Hanseaticas Metropolis est.

(14.) Jus Autonomias in causa Religionis, ut apparet ex Transactione A. 1553. & A. 1569. ut & Ordinatione Ecclesiastica publicata A. 1531.

Obj. Vid. supr. ad Num. 1.

(V.) Accedit Confessio Ducum Lunæburgensium, qui cum An. 1567. Guelferbytanis Controversiam movissent de Juribus in Civitatem Brunsvigam, ad quorum Communionem illi tanquam ad ea, quæ hactenus pro indiviso ejusdem Stirpis rami possedissent, admitti petebant, sed ipsos hi admittere recusabant coram Camera Spirensi A. 1580. circa Jurisdictionem, Conductum, Jus Collectarum, Appellationis &c. ea fassi sunt, quæ Civitatem juvant. Conf. etiam Diplomata pro libertate Civium Brunsvicensium Ottonis Ducis. A. 1314. ap. Limn. 7. 9. 11. Sic & Confirmatio pactorum quæ ab omnibus Ducibus fit, Libertati Civitatis Suffragium præbet; nunquam autem pacta iniri solent cum Civitatibus muncipalibus super Statu.

Obj. Lunæburgicis Jus in Urbe Guelferbytani non concedunt, nec eorum Confessionibus tenentur.

(VI. VII.) Sexta & Septima Ratio decidendi Dauthii, quæ speciale Mandatum contra Civitatem emissum respiciunt, omitti possunt, cum nihil novi ferè complectantur.

Fundamenta Ducum, quibus Civitatem asserere sibi volunt, complectitur Tractatus sub Titulo: Ausführlicher wahrhafftiger Bericht / die Fürstliche Land- und Erb-Stadt Braunschweig / auch der Hertzoge zu Braunschweig und Lüneburg/ Wolffenbüttelischen Theils darüber habende Lands-Fürstliche hohe Obrigkeit und Gerechtigkeit, auch ihr der Stadt ohnmittelbahr-angebohrne schuldige Subjection und Unterthänigkeit betreffend. Ex eo Limn. I. P. 5. 6. 6. & ex hoc Knipschild. de Civit. Imp. 4. 26. & seqq. illa capita excerpit.

(I.)

URbs a Ducibus Saxoniæ condita, unde ei a Brunone Autore A. 860. Nomen & Palatio Ducali Tanquarderodæ, ab illius Fratre Tanquardo.

Obj. (1.) Ducum Saxoniæ Juribus antiquius est Jus Matricum Urbium Saxoniæ.

(2.) Non a Conditore Urbis Saxoniæ Duce æstimandus ejus Status in Lite cum Ducibus Brunsvicensibus, quibus in Ottone I. qui cum Urbe pactus, novum planè feudum collatum est.

(II.) Ducum Insignia Statuis, Portis, publicis ædibus, Muris & alibi insculpta videri luculento Testimonio Superioritatis.

(III.) Duces eam tanquam propriam & hereditariam possedere, ac ab Imperatore in Feudum accepere. Unde in Diplomate Friderici II. quo Ottonem creat Ducem; Civitatem Brunsvicensem & Castrum Lu-

Lunæburgense cum omnibus Castris &c. univimus, & creavimus inde Ducatum &c. Ducatum ipsum in Feudum Imperii concessimus ad heredes suos filios & filias hereditariè revolvendum.

Obj. Antequam erigeretur Ducatus Brunsvicensis, pacta inter Ottonem Ducem & Civitatem inita sunt, quibus Libertas Civitati salva mansit.

(IV.) Eandem ut propriam & hereditariam contra alios, seque ex illa defenderunt ut proprietarii Domini Territorii.

Obj. Omnia hæc non nisi pactorum vi & sine præjudicio Civitatis facta.

(V.) In Urbe Duces Aulam tenuere, Palatium habuere instructum, Sepulchra obtinuere familiaria, Mandata, quibus obstringebantur, affixere, Provinciales ibidem Conventus exercuere & Judicia.

(VI.) Ducibus Civitas ad Servitia & Sequelam vocata & parere coacta est.

Obj. Non agnoscit hoc Civitas, conf. Dauth. d. l. ubi resp. ad ration. Dubit.

(VII.) Conduxere Judæos in Civitatem, aggerem limitaneum (Lands-Wehr) ut Cives jacerent, permisisse.

(VIII.) Civitati concessere insignia Privilegia.

Obj. Privilegiorum concessio nondum plenam subjectionem infert.

(IX.) Quod nunc Senatus habet, omne olim Ducum fuit & hereditarium, unde ab his speciali gratia concessum Senatui, & feudo datum.

Obj. Status Civitatis Ducatu antiquior, nec Duces Regalium horum in Diplomatibus, quibus Privilegia Civitati concessa confirmant, meminere, Regalia a solo Imperatore dependent. Status talis a Cæsaribus confirmatus, & aliquot Seculorum tacito consensu etiam a reliquis Statibus probatus.

(X.) Nominati ad vacans Officium seu Ministerium Pastorales & Mini-

nistri ad Ducale Consistorium examinis gratia mittuntur a Civitate. Conf. Transact. A. 1569. n. 6.

Obj. Hoc est ex pacto de A. 1569.

(XI.) Ducum Bona tanquam Territorii Principum a Vectigalibus immunia sunt.

Obj. Nec hæc Immunitas probat, quod probandum est.

(XII.) Civis suscipi aut tolerari nequit, nisi una cum Juramento, quod Civitati præstat, se antea Homagio obstringat Principi Territorii.

(XIII.) Duces nonnunquam Senatum & Civitatem Rebelles declaraverunt.

(XIV.) Sæpius Senatus in Literis, Transactionibus, Reversalibus sigillo firmatis Ducem Territorii Dominum ejusque Superioritatem territorialem agnovit, suam verò Subjectionem debitam professus est. Conf. Transact. 1615. art. 1.

(XV.) Civitas Duci Homagium etiam nondum decisis omnibus Controversiis præstitit. Conf. Dauth. l. c. rat. dub. 1.

Obj. (1.) Civitas solum præstat Duci Homagium, postquam omnia composita Dissidia & a Ducibus confirmata Privilegia, factumque Promissum, illam in Juribus suis servare & defendere velle, quod duabus Literis Reversalibus confirmandum Limn. I. P. 7. 9. 3. Conf. ibid. transact. de An. 1615. art. 1. & 9. & reservat in eo Homagio sibi Civitas Statum suum liberum, nec mentio fit Subjectionis, ac Decisione Homagiali A. 1606. a Camera Dux ad renovationem pactorum condemnatus est.

(2.) Homagia aliæ etiam Civitates præstant sine præjudicio Libertatis, Colonia, Wormatia, Spira, itaque Subditis propriis & impropriis Homagium diverso effectu commune est. vid. Dauth. d. l.

(XVI.) Civitas cum aliis Ordinibus Ducalibus etiam ante præstitum Homagium contribuit ad collectas provinciales ac elocandis Filiabus indictas (Land-und Fräulein-Steuer.) conf. Trans. de A. 1569.

Obj.

Obj. Negant hoc ipsi Lunæburgici in Libello Cameræ exhibito. A. 1570. art. 66. & seqq.

(XVII.) Civitas Quotam Imperialem Guelferbyti Ærario intulit.

Obj. (1.) Conceditur semel Henrico Juniori & iterum Julio Ducibus solutam esse a Civitate Imperii Collectam, sed sub Reversalibus idoneis adeoque sine præjudicio.

(2.) Alias etiam unius Familiæ Principes soliti sunt Possessori Arcis Gentilitia quotas suas repræsentare. vid. Dauth. d. l. rat. dec. 2.

(XVIII.) Civitas cum aliis Statibus Provincialibus comparuit ad Diætas Provinciales inter Deputatos (Lands-Ausschuß) allecta, Recessibus concipiendis cooperata eosdem signavit, & nomine reliquarum Civitatum servat Exempla.

(XIX.) Civitas Ducem semper agnovit Judicem, & a Sententiis Senatus tanquam Status Provinciales ad vetustas singulares Austregas & concordata Ducatus sese conformavit, ac iisdem æquè ac Austregis Imperii contra Principem suum fuerunt usi, ad eosdemque provocarunt.

Obj. (1.) Ut a Senatu ad Curiam Ducalem appellaretur demum a Pacto de An. 1569. cum Juri Communi & Saxonico id non adscribendum sit, & illa quoque Transactio ex mera Ignorantia Juris Urbici & Saxonici profluxit.

(2.) Provocatio non semper subjectionem inducit, uti pleræque Civitates Vandalicæ seu Urbes solent provocare ad Lubecam. Addit Dauth. d. l. aliud Argumentum, quod Stylo Cameræ juxta Mynsingerum & Gailium Civitas Municipalis Ducum habeatur, ibidem ad illud respondet.

Eventus.

QUod caput Controversiæ fuit in Transact. de A. 1615. art. 1. aliò dilatum, vel ut amica compositione vel Juris vi componerentur Dissidia. Extincta Guelferbytana Linea in Friderico Ulrico Controversia imminuta aliquo modo, non etiam extincta videri potest.

CON-

CONTROVERSIA Calenberga-Cellensis.

Historia.

CHristiano Ludovico Duce Brunsvicensi & Lunæburgensi A. 1665. Cellis mortuo, Johannes Fridericus Frater, qui morienti præsens fuerat & Calenbergicis Legatis, qui nomine fratris Georgii Wilhelmi casum hunc itidem expectabant, propositum indicari fecerat, possessionem Arcis & Civitatis occupat, Calenbergiorum Cancellariæ, Templo, Curiæ affixa Diplomata refigit, propositum compossessorium repudiat, & alias Præfecturas, quæ fidem Calenbergicis dederant, in partes suas trahit tanquam legitimus in Principatu Cellensi Fratris Successor. Eandem verò Successionem ex Libertate Optionis, & Occupationem illam Turbationem interpretatus Georgius Wilhelmus sibi deberi vindicat, Calenburgicum suum Ducatum Johanni Friderico relicturus.

Fundamenta Calenbergicæ Partis seu Ducis Georgii Wilhelmi im kurtzen Bericht von dem dem Durchläuchtigsten Hertzogen Georg Wilhelm competirenden Jure Optionis proponuntur.

(I.)

TEstamentum Georgii communis Patris de A. 1641. d. 20. Martii confectum, quo Exæquatio duorum Principatuum præcepit (Hæc An. 1646. confecta) & eorum alter, quem optasset, Primogenito, alter Secundogenito destinati. Additum si contingeret, Primi Lineam deficere, ut residuæ secundæ iterum permitteretur Optio, prius ha-

habitum an recens vacuè factum mallet Tertio geniti Lineæ vel post hanc Quarto geniti relinquere. Testamentum hereditario Pacto Fratrum majorum & dein sequenti tempore Juniorum Juramento confirmatum.

Obj. Fit in Testamento tantum descendentium Linearum mentio.

(II.) Cum A. 1646. in Tractatibus de Exæquatione Principatuum ageretur de abrogatione Optionis, ab aliquibus ea tantum in vigore relicta, nisi quod ut de ea amplius agi posset, permissum sit. Inde singuli successivè Fratres & Testamentum Paternum & reliqua Pacta tandem sine restrictione confirmare.

Obj. Vid. Fundament. Contrar. 1. & 3.

(III.) Cum iterum Calenbergici An. 1658. cum Duce agerent de abrogando Optionis Jure, ipse Dux Johannes Fridericus ursit Opus, ac ita Fratri deberi agnovit. Idem alicubi fassus est, quod optionis punctum prius non ita expenderit, sed a quinquennio demum de eo cœperit cogitare.

Obj. Dux Johannes Fridericus ursit negotium, non quod Fratri deberi Optionem crederet, sed quod prætendi sciret, unde ejus intererat, prætensionem motibus præcavendis ad liquidum reduci.

(IV.) Juramenti Formula (quod A. 1649. præstitere Juniores Fratres) cum articulus de secunda & ulteriori Optione excipitur a Confirmatione, & ad ulteriores reservatur Tractatus, præsupponit Jus Optionis fundatum in Testamento. Nec illis renunciari Juri quæsito, sed suspenditur tantum Confirmatio Testamenti per Juramentum. Postea verò a Johanne Friderico ipso Testamentum in omnibus confirmatum.

Obj. (1.) Ipsa Exceptione articuli illius Fratres Obligatione soluti.

(2.) Fundatum Jus Optionis in Testamento tantum pro Descendentibus.

(3.) Dux Johannes Fridericus nunquam simpliciter hoc Juramento

probavit, quia nec poterat hoc facere propter præcedens Juramentum.

Fundamenta Ducis Johannis Friderici deducuntur in dem begründeten Gegen-Bericht.

(I.)

PRætensio Optionis refellitur, quod si fiat, Joh. Fridericus haud dubiè Successor est legitimus.

(1.) In Testamento, quod strictæ Explicationis est, inprimis cum addatur: Auf dem Fall, illa non fundatur, cum illud Jus hoc Optandi concedat Lineis descendentibus, quia successu temporum Æqualitas Principatuum variis modis perire poterat, ac ita Optio justa esse non ipsis filiis intra quorum ætatem vix tam notabile Incrementum aut Decrementum expectari potuit.

Obj. Linearum nomine etiam Caput venit, nec ea dispositio restrictiva sed extensiva, inprimis quia præ Nepotibus Filii diliguntur.

Exc. Non magis dilexit Testator filios, quia tertium & quartum primi & secundi Liberis postposuit.

(2.) Eadem Mens Testatoris non tam personas Filiorum quam Conservationem Familiæ respicientis, futurum erat, ne frequentes Translationes Incommoda nimia Provinciæ crearent, qualia etiam inter privatos caveri solent.

Obj. Idem periculum in Descendentibus quod in Linearum Capitibus, illis autem non negatur permissa Optio.

(3.) In pacto Hereditario de A. 1646. ulterioris Optionis non facta mentio, nec A. 1649. in Extraditione & Renuntiationibus. Sic & in formula Juramenti Articulum Optionis in Testamento Descendentibus concessæ excepere. Sic re ad ulteriores Tractatus remissa, soluti Fratres Obligatione intelliguntur.

Obj.

Obj. Vid. contrarior, Fundam. 2. & 4.

(II.) Justitia Occupationis asseritur, quia Heres vacantem Hereditatem propria Auctoritate occupare potest, quod factum Occupatione Castri dominantis, a quo reliqua dependere debent; ut a Calenbergicis alibi facta Occupatio nullarum sit virium.

Eventus.

CUm Res conductis Copiis ad Arma spectaret, plures verò Principes suas interponerent partes, M. Augusto transactum est, ut Dux Georgius Wilhelmus Cellensem, frater Calenbergicum, Ducatus, certis tamen Conditionibus haberent.

CONTROVERSIA Altenburgo - Vinariensis.

Historia.

CUm Johannes Guilielmus Dux Saxoniæ Electoris Johannis Friderici Magnanimi filius duos genuerit Filios, Fridericum Guilielmum, qui postea Electoratus Administrator fuit, Altenburgensium, & Johannem Vinariensem Satorem. Illi ex prima Conjuge nullus superfuit filius, qui verò ex secundo Matrimonio natu maximus erat Johannes Philippus A. 1597. genitus a Johanne Ernesto primo Johannis filio A. 1594. edito, triennio, a Friderico hujus fratre, anno superabatur. Unde Ætatis prærogativa hi ante illos priorem locum sibi vindicabant. Re ab Altenburgicis ad Imperatorem Rudolphum II. delata, hic A. 1617. d. 27. Sept. pro ipsis pronuntiavit.

Fundamenta Altenburgensium nituntur referente Limnæo J. P. 5. 15. 3. Jure Primogenituræ & ob hoc præstitutione ad Electoralis Dignitatis expectationem, quod probant.

(I.)

CAroli IV. A. B. t. 7. & t. 24.

Obj. (1.) Agitur tantum de Successione filiorum & fratrum Electorum, non consanguineorum vel agnatorum, qui Electorum non sunt filii.

(2.) Dubitari etiam potest, an inter Electorum filios locum habeat constitutio, ut posteriores filii non admittantur, nisi priorum progenie extincta.

(3.) Caroli IV. factum, quo A. 1357. M. Januario Metis Bulla peculiari allegans communis A. B. Verba pro ratione decidendi Wenceslaum Saxonem Ottonis majoris fratris præmortui filio Alberto in Electoratu prætulit.

(4.) Exemplum Philippi Palatini A. 1508. inter Liberos suos simile quid statuentis.

(5.) In Successione Consanguineorum non solum propinquior Gradu, sed simul senior inter Agnatos requiritur.

Quod sancitur in A. B. Caroli IV. in Saxonica, Francofurti Wenceslai in Saxonica, Sigismundi in Palatina & Saxonica Aquisgrani, Uratislaviæ & Basileæ datis, ubi requiritur Senior pro tempore.

(II.) Caroli IV. Bulla data Wenceslao Duci Saxoniæ A. 1376. Francofurti.

Obj. Non id dicit Bulla, quod exinde probandum, nec Respectus linearum Seniori Agnato præfertur.

(III.) Sigismundi Bulla Palatina Aquisgrani edita A. 1414. qua ipse Agnatus Senior non simpliciter verum secundum Lineam paternam Senior in Electoratum succedere jubetur. *Obj.*

Obj. (1.) Interpretatione juvanda Bulla, ne aliis Bullis repugnet.

(2.) Non tam veram paternam quam communis ſtipitis Lineam notant Verba, nach Vätterlicher Lini ꝛc.

(IV.) Jus Repræſentationis & Transmiſſionis.

Obj. Ejus Species in Succeſſione laterali non magni facienda Lege Romana ignota Germanis, non inſerta Bullis Cæſareis & Obſervantiæ inconveniens.

(V.) Jus Repræſentationis Hiſpanicum & Gallicum.

Obj. Nobis nihil præſcribi jure alieno poteſt.

(VI.) Reſtitutio Imperial. Johannis Friderici facta A. 1552. de 27. Auguſti. Unde tanquam verus Elector hic Expectantiam & Succeſſionem Electoratus transmiſit in Poſteros ex A. B. Tit. 7.

Obj. Reſtitutio facta ad Statum Principalem non Electoralem.

(VII.) Datæ a Cæſare Expectantiæ Johanni Guilielmo A. 1572. d. 9. Julii, quibus Privilegii loco Jus Primogenituræ & Succeſſionis in Electoratum obtinuit ante Fratris poſteros.

Obj. (1.) Factum hoc tantum Excluſioni Johannis Friderici liberorum, nullum verò novum Jus Primogenituræ introductum in liberis Johannis Guilielmi.

(2.) Secus ſi Privilegium in majoris partis Succeſſorum Detrimentum vergeret.

(3.) Verba Expectantiæ ad Tempus futurum vacantis Electoratus referuntur.

(VIII.) Johannis Guilielmi Teſtamentum, d. 19. Februar. A. 1573. quo eximia ſervatur Succeſſio Electoralis filio primogenito.

Obj. (1.) Privata Diſpoſitio contra Jura publica invalida eſt.

(2.) Diſpoſitio tantum de eo caſu loquitur, ſi Friderico Guilielmo vivo contingeret vacare Electoratum.

(IX.) Adminiſtratio Electoratus, quam Fridericus Guilielmus geſſit, ac ita quaſi-poſſeſſionem obtinuit, atque ad poſteros transmiſit.

Obj. Id beneficio Ætatis non Hereditatis prærogativa factum.

(X.) Moſaicæ Legis Diſpoſitio quæ Primogenituram commendat.

Obj. (1.) Sumus extra Politiam illam.

(2.) Primogenitorum favor Typo Christi serviens expirare illo exhibito debuit.

Objectio generalis, a Jure Primogenituræ & Expectantia Successionis Electoralis ad præcedentiam non solidè argumentari licet.

Fundamenta Vinariensium ex Grund-Veste Sächsischer Weymarischer Præcedentz ap. Limn. J. P. 5. 15. 3. & addit. Tom. utroque ad h. l. p. 925. & seqq. (Ad quæ responsionem Altenburgensium alibi quæras) duplicia sunt.

(I.)

IN Causa principali Jus suum probare volunt illis rationibus.

(1.) Inter æquales gradu Senior præcedit.

(2.) Inter Fratres ergo etiam Patrueles Seniori priora debentur.

(3.) Observantia & in aliis Domibus Principum Brandenburgensium, Pomeranorum, Mechelburgicorum, Badensium, Anhaltinorum & in Domo Saxonica Misniæ & Ascaniæ Stirpis ipsa, ubi

(α) Exempla ostenduntur Literarum & Diplomatum, Subscriptionum, Monetarum, ubi Ætatis, non Linearum, in Ordine observata Prærogativa.

(β) Causa, quæ notatur im Bericht, wie es die Kayserliche Majestät sampt Chur-Fürsten, Fürsten und Ständen mit denen Sessionen zu halten pflegen, auch Anno 1486. Anno 1495. gehalten worden, in Archivo Imperii ubi in singulis Electoralibus Domibus in Principali Collegio primus collocatur, der älteste wesentliche Fürst, & dein der ander, jeglicher nach seinem Alter, ut & ex querela Saxonicorum, quod contra Jus ætatis in Moneta Georgius Johanni Duci præpositus.

(γ)

(γ) Quod ex hac Ætatis Prærogativa Seniores adverſus alios argumentati.

(δ) Unde toties mutata inter Lineas præcedentia, juxta Principum Ætatem.

(ε) Auctoritas JCtorum Germanorum, Italorum, Gallicorum.

(ζ) Succeſſio Electoratus potius Vinarienſibus debita, quod ex Refutatione ſuperiorum Argumentorum putant liquere.

(II.) Sententia Imperatoris de Anno 1606. Jus ſuum ſibi non periiſſe, ſed amplius audiendos prætendunt. vid. Cauſ. ap. Limn. T. IV. Add. p. 925.

(1.) Quia cum Cauſa ad Aulam Cæſaream devoluta, Vinarienſes pupilli erant, nec aliquis loco eorum Actioni interfuit, cum Chriſtianus II. Elector communis utriusque Lineæ Tutor non poſſet Auctoritatem præſtare.

(2.) Quia, cum res tantum inter Conſiliarios in Tutela Electorali agitata, Decretum adverſus Pupillos directum.

(3.) Quia res non per modum Litis aut Proceſſus, ſed per modum Submiſſionis & Quæſtionis ab Electore ad Aulam delata, cum illud in re magni momenti fuiſſet neceſſarium.

(4.) Nec Requiſita Extraordinarii Proceſſus, quæ ſunt, ut non minori diligentia quam in Ordinario in Fundamentum Veritatis inquiratur, obſervata ſunt.

(α) Cum Monumenta ex Archivis Principum non producta ſint, ſed Cæſarea Sententia tantum reſpexerit utrinque productas Conſiliariorum Prætenſiones & Conſultationes diverſarum Academiarum.

(β) Falſæ Hypotheſi de Jure Primogenituræ a Præcedentia non ſeparabili, quæ An. 1606. Naumburgi jacta, nunc ab aliquibus Auctoribus ipſis deſeritur, innitatur eadem Sententia, nec vera Vinarienſum expreſſa ſint.

(γ) Aliqua Inſtrumenta ne quidem viſa ſunt, nec audita.

(5.) Nimis præcipitata res, & ſecurè arrepta ſcripta Conſiliariorum utri-

utriusque partis, ac si Vinariensium Jus in illis plenè contineretur, cum tamen ipsi Vinarienses Consiliarii suam Infirmitatem agnoverint, & maturatum Judicium dissuaserint.

(6.) Satis jam constat de falsitate hypotheseos Naumburgi jactæ, qua Præcedentia a Primogenitura suspenditur, huic verò innititur Decretum Cæsareum.

(7.) Vidua justo tempore nomine liberorum minorum protestata adversus Decretum, Revisionem actorum allegatis Nullitatibus petiit, sed & Filii, ubi ætatem justam attigere, Beneficium Restitutionis in integrum, & ut Altenburgenses citarentur, jure quæsiverunt.

Eventus.

E Vivis cum sublati essent Johannes Ernestus & Fridericus, Controversiæ locus non amplius erat, cum ex utriusque Partis Principio Johanni Philippo primæ deberentur. Sed hoc extincto A. 1639. Friderici Wilhelmi natis Anno 1603. ac ita Wilhelmo, Alberto, Ernesto atque Bernhardo Vinariensibus minoris ætas portam eidem iterum aperuit.

CONTROVERSIA Saynensis.

Historia.

SAynensium Comitum vetusta in Imperio Memoria est, eosque apud Textorem a Friderico Nassavio Castri Sayn Conditore derivant. Prior Familia defecit in Henrico Magno Comite A. 1246. cujus Patruus Bruno Archiepiscopus Coloniensis fuerat. Soror autem Adelheidis Johanni Comiti Spanheimio nupsit; unde hujus Nepos Gothofredus novam Progeniem Comitum Saynensium orsus est, in qua Ramus ex filio Johanne priore ductus Comitatum tenuit. Alter ab Engelberto Johannis fratre Homburgum atque Valendariam, quibus Engel-

gelberti Nepos Salentinus Matrimonio Elisabethæ Comitatum Witgensteinium adjecit, quo titulo deinceps usi sunt; Hæc adhuc durat Familia, cum prior Linea in Henrico A. 1606. ἄπαιδος defecerit, postquam hic agnatis Ludovico & filio ejus Wilhelmo (qui Henrici ex Fratre Neptem Annam Elisabetham in Matrimonio habebat) vivus adhuc Ditiones concessisset. Morte ejus, & cum postea Anno 1632. Ernestus Wilhelmi filius non relinqueret filios, pluribus Controversiis data occasio.

Controversiam in Quæstiones quatuor partitur Sprenger. in Prætens. Illustr. p. 221. & seqq. quem hic sequemur.

Quæstio I.

An Comitatus factus Archiepiscopo Trevirensi caducus?

Pro Affirmativa militant.

(I.)

JOhannis progenies mascula in Henrico terminata, & Feudi masculini natura, quæ probatur, cum in Investituris tantum simpliciter heredum fiat mentio.

Obj. Vid. 1. Contrarium Argumentum.

(II.) Engelberti Posteritas incapax Successionis, quia ille in Jura Saynensia renunciavit, atque Anno 1452. Gerhardo Comiti, quod tamdiu debita Investitura intermissa, atque ita feudum amissum esset, nova ex gratia Investitura concessa est, qua Engelbertus gaudere nequit.

Obj. Commentum hoc Saynenses rejiciunt.

(III.) Anna Elisabetha fœmina & quidem semel exclusa semper exclusa censetur.

Obj. Regulam a magnis JCtis improbari.

(IV.) Speciale Jus in Freusberg, quod Henricus, & Maxsayn, quod Gothofredus Archiepiscopis Trevirensibus vendidere.

Obj. An unquam facta sit Venditio, dubium est, sed nec valida esset.

Pro negante pugnans edita est: Gründlicher Bericht / in Sachen Herrn Graff Ernsten zu Sayn und Wittgenstein / gegen Ihro Churfürstliche Gnaden / und das Ertz-Stifft zu Trier.

(I.)

NAtura Feudi Fœminina, quod & Investitura Hilloni & Balduini Episcoporum probat, ubi Heredum nomen latissimum. Sic & Exemplum Comitatus ad Spanhemios delati idem arguit, ac fatetur Kyriander de Augusta Trevirorum. p. 86.

(II.) Pacta gentilitia de non alienando An. 1351. 1357. Venditiones quascunque reddunt irritas, præterquam quod invalidæ sunt ad Lacerationem Imperii vitandam.

Quæstio II.

AN Christianus Comes Wittgensteinius Wilhelmi Comitis ex Anna Ottilia Saræpontana filius præferri debeat fratris Ernesti eodem Patre, sed Anna Elisabetha Saynensi Matre nati filiabus Johannæ & Ernestinæ?

Pro

Pro Comite Christiano faciunt.

(1.)

FEudi natura Masculina, aut quamvis Fœminea sit, prærogativa Masculorum, quod si supersunt, ante Fœminas.

(2.) Investitura Saynensis a Palatino concessa Ludovico Wittgensteinio ob Masculini Feudi naturam.

Pro Sororibus.

(1.)

PRopinquitas Gradus, qui, si pro Fœminis sit, eorum Lineæ Masculinæ non est postponenda.

(2.) Engelberti Renunciatio valida, quoad aliquis e priori Linea supersit; ex qua per Annam Elisabetham solus Ernestus ac ita ejus filiæ descendunt, non Fratres eodem Patre nati, licet hi ab Engelberto descendant.

(3.) Investituræ obreptitiè impetratæ, & contra antiquam Consuetudinem factæ Nullitas.

Quæstio III.

AN Comitatus sit Feudum Palatinum?

Argumenta Palatina.

(1.)

GErhardus An. 1411. a Ludovico Palatino Comite investitus, sic & posteà Dietericus A. 1415. Gerhardus II. A. 1496. Johannes I. A. 1506. A. 1509. Johannes II. A. 1530. Adolphus A. 1602.

(2.) Ob hoc Fridericus Comes Palatinus A. 1602. aliquibus occupatis Fidelitatem a Subditis Comitatus exegit, ubi post mortem Henrici nullum alium agnoscerent Dominum.

(3.) In præjudicium Palatinorum non potuit Jure Dietericus Saynensis

fis A. 1439. Hachenbergam, quod A. 1247. inprimis A. 1273. fine dubio Palatinum Feudum fuerat, a Coloniensi agnoscere Feudum, nec nisi una facta Investitura. Inde orta sub Comite Gerhardo Disputatione intermissa per 140. annos, donec ultimus Hermannus iterum contra Inhibitiones agnosceret a Coloniensi.

Opponitur, Saynam & Freusberg a Trevirensi testimonio antiquæ Hillini Investituræ, Hachenberg a Coloniensi, Fridenwald ab Hassis feudo teneri, ut quod a Palatino possideatur non appareat.

Quæstio IV.

AN non hic locus sit Primogenituræ?

Affirmans Pars nititur.

(1.)

TExtu Feudali c. 1. §. propterea, de prohibend. feud. alienat. quo Comitatus & Marchionatus subjiciuntur Primogenituræ.

(2.) Antiquis Investituris, quibus jubetur, ut Feudum Saynense pro indiviso possideatur.

Negans Pars urget.

(1.)

PRimogenituram facti esse, adeoque firmiorem requiri probationem.

(2.) Pugnare Exemplum Johannis & Engelberti.

(3.) Communem Germaniæ Consuetudinem, qua multi Divisioni subjiciuntur Comitatus.

(4.) Societas universorum Bonorum indivisim possidendorum non arguit Primogenituram.

Addi potest

Quæstio V.

DE Hachenberg & Informatio Juris & Facti: Wie Weyland Herrn Graff Ernsten zu Sayn und Wittgenstein des älteren nachge-

gelassene beyde Fräulein Töchter, Ernestina und Johanna, zu dem Schloß, Statt und Ampt Hachenberg mit allen Pertinentien gegen Chur-Cölln, so es Anno 1631. unter dem Vorwand eines eröffneten und heimgefallenen Mann-Lehens gewaltthätiger Weiß eingezogen, berechtiget sind, An. 1642. In Pace Osnabrug. art. IV. § Vidua, in possessionem Hachenburgi restituitur Vidua Ernesti Comitis Saynensis.

CONTROVERSIA
inter
Civitatem Fridbergam & Castri Burggravium.

Historia.

FRidbergia Wetteraviæ Urbs vetus Imperialis Friderico II. nomen debere credita, olim quam nunc amplior fuit, atque aliquando Nundinas, quæ nunc Francofurti sunt, habuit, sed variis Incendiis & Casibus deformata, multum pristinis Splendoris amisit. Ei contiguum Castrum est, quod Cæsareæ Majestatis & Imperii Castrum seu Burgum dici solet. Hujus Burggravius & Castrenses, qui Comitatum Reichensem possident, in Matriculam fuerant relati, sed declaravit postea Maximilianus I. Imperator, ad nullum Censum obligari Imperio, quod Wilhelmus Imperator An. 1252. sanxerat. Sed nec comparent in Comitiis, quia malunt in Rhenana Nobilitate immediata, in qua suam solvunt quotam, quam Comitibus Wetteraviæ accedere. Conf. Limn. J. P. Addit. T. IV. ad l. 4. c. 7. p. 560. & ad L. 6. c. 3. p. 56. 64. Nihilominus in Civitatem Jus Superioritatis prætendunt.

Fundam. quibus subjectam sibi Civit. Burggravius probare vult, recitat Knipschild. de Civit.

Imp. Lib. 3. cap. 15. n. 7. Editus pro illo Tractatus: Verständiger Gegen-Bericht der Burg Friedberg ꝛc.

(I.)

BUrggravius Johannes Brendel A. 1541. a Carolo V. investitus non de Castro tantum sed & Urbe, ac ita etiam ejus Dominus constitutus intelligitur. Conf. Mandatum Rudolphi ad Burggravium.

Obj. Investitura hoc non probat, si facta esset, Jure præcederet.

(II.) Ex Transactione & Constitutione Alberti I. An. 1306. e Burgensibus sex in Senatum a Civibus cooptari debent, in quibus ipse Burggravius superior Judex est (Ober-Richter und Amptmann) coram quo solo ex Privilegio Caroli V. An. 1530. conveniendi sunt, ut & ex Sententia Ruperti An. 1415. Conf. Wehner. ap. Gylman. Symphor. T. IV. c. 7. p. 176. qui omnes Subditos, Incolas & Officiales coram Burggravio conveniendos tradit.

Obj. (1.) Sex Viri ab ipsis eliguntur Civibus, & minor eorum numerus cum reliqui Senatores sint 24., inque his Consul primum obtineat locum, hi etiam sine sex Viris imponant Civibus precariam & alia.

(2.) Disertè in ipsa Constitutione illi Castrenses electi accedere jubentur Civibus, unde idem, qui prius erat Magistratus, manet, & Accessio principali cedit.

(3.) Illi tantum Consilio adhibentur, quod ex ipsa Formula, qua jurant Consulibus, apparet.

(4.) Burggravius nullum capere potest Civem, nisi ex speciali Privilegio, Imperatoris Mandato, nec hoc tum, si Civis ad Aulam Cæsaream provocet, ex Privilegio Caroli IV. de A. 1374. Knipschild. d. l. n. 44.

(5.) Wehneri non satis de Statu hujus Reipublicæ informati Errorem refellit Auctor des gründlichen Berichts in præfatione &c.

(III.)

(III.) Burggravius & Castrenses quædam Jura specialia obtinent in Civitate, & juxta Transactionem Ruperti ille constituit Scultetum.

Obj. (1.) Ex Juribus specialibus ad Superioritatem colligi non potest.

(2.) Sculteti Officium non aliud est, quam in sententiarum latarum a Senatu Executione & Privilegiorum Conservatione.

(3.) Scabini 12. seipsos eligunt & confirmant sine Burgravio, quomodo etiam sibi ipsis jurant. Horum cum Consilio Burggravius ex Constitutione Alberti Imp. ordinat Scultetum, qui nomine Scabinorum jurat Consuli, sine illo verò Scabini de Criminalibus & Civilibus cognoscunt, & Sententiam dicunt, quam exequitur ex Juramento suo Scultetus.

Fundamenta Libertatis pro Civitate tractat Auctor (creditur esse Johannes Gœdæus) gründlichen Berichts von allen und jeden / der freyen und Kayserlichen Reichs-Stadt Friedberg Stadt-Regalien / Privilegien / Recht und Gerechtigkeiten A. 1612. & ex eo Knipschild. l. c.

Ea sunt.

(I.)

GEneralis omnium Privilegiorum, Libertatum, Immunitatum & Jurium Civitatis facta a Richardo Imperat. Anno 1227. confirmatio, quam exhibet. Limn. J. P. 7. 17., 6. quod arguit Immedietatem. Promittit etiam Imperator eam ab Imperio nunquam alienandam, & conjungit ejus mentionem cum Francofurto ad Mœnum. Oppugnavit eam Carolus IV. nomine Imperii ad aliquod tempus Günthero Comiti Schwartzenburgico. A. 1349. vid. Instr. Pac. ap. Limn. 7., 17. 7.

(II.)

(II.) Regalia & Immunitates, quæ ab Imperatore ipso possidet.

(III.) Precariæ seu Contributionum semper Imperio immediatè fieri solita Solutio ex confirmat. Rich. A. 1257.

(IV.) Rudolphus I. A. 1273. Fridbergenses vocat dilectos fideles suos Cives.

(V.) In Transactione Rudolphi I. A. 1285. (quem vid. ap. Limn. J. P. 7. 17. 4.) Castrum & Civitas tanquam distincta Imperatori subjecta, & sibi invicem opposita Corpora componuntur, ac quoad immediatam Subjectionem per continuam Reciprocationem parificantur.

(VI.) Ex Mandato Caroli IV. An. 1353. & Ruperti Diplomatibus, A. 1408. 1410. colligitur.

(1.) Castrum & Civitatem esse separata Corpora.

(2.) Civitatem esse Imperatoris & Imperii.

(3.) Transactionibus sollicitè cautum, ut Status & Dignitas Civitatis Imperio servaretur.

(4.) Fuisse omni tempore Imperialem.

(5.) Precariam esse Imperii.

(6.) Eandem Precariam solvendi oneri subjectos Castrenses.

(7.) Castrenses in Civitate habitantes ob ringi Homagio Imperatoris & Imperii.

(8.) Cives esse Imperii, sic & ex privilegio Wenceslai A. 1395. Conducendi Jus videri potest. ap. Limn. J. P. 7. 17. 9. ut & Fœderum ap. Knipschild. d. l. n. 33.

(VII.) In Matriculis de A. 1521. 1537. A. 1541. A. 1551. cum certa Quota legitur Civitas.

(VIII.) Ad Comitia Imperii & Conventus Circulares vocata comparet, Jus Suffragii habet, ut ex Recessuum apparet Subscriptione. Conf. Declarat. ap. Limn. J. P. Addit. Tom. IV. ad 7. 17.

Obj.

Obj. Ejus nomine ſubſcripſit. A. 1555. Burggravius.

Except. Factum id nomine non proprio ſed Civitatis, unde non in Comitum ſed in Civitatum Ordine legitur.

(IX.) Juſtitiæ adminiſtratio in cognoſcendo & judicando in Criminalibus & Civilibus eſt penes Conſulem & Senatum, nec Burggravius aut ſex Viri concurrunt.

Obj. Burggravius in vim adjuvandæ Executionis adhibetur, ut ſuperior Judex.

Exc. Hoc potius Onus quam Superioritatis Indicium.

(X.) Cives non Burggravio ſed Conſuli & Senatui jurant, &, ut Privilegio Wenceslai A. 1398. cavetur, qui 14. Ætatis annum attigere, tenentur Imperatori, Imperio & Civitati Homagium præſtare, quod Sententia An. 1424. ipſis Burgenſibus in Civitate imponitur habitantibus.

(XI.) Inſignia Portis, Muris, aliisque locis publicis affixa non Burggravii ſunt ſed Civitatis ipſius.

(XII.) Claves Civitatis & aliarum rerum non Burggravio vel ſex Viris Caſtrenſibus, ſed Conſuli & Senatui committuntur.

(XIII.) Sic & ex Privilegio Wenceslai Civitati permittuntur Reditus & Cenſus ſuos augere ſine impedimento Burggravii. Limn. J. P. d. l. n. 12.

Eventus.

MAnſit hactenus in poſſeſſione Jurium ſuorum Civitas, & in repartitione Satisfactionis Svecicæ Anno 1650. illi Quota ſua aſſignata eſt.

(o)

PRÆTENSIO
Episcopi Monasteriensis in Dominium Borzelo.

Historia.

DOminium Borculo allodialis prius naturæ, & ob hoc utrique sexui idoneum, A. 1406. a Gisberto II. Comite Bronchhorst voluntariè oblatum Episcopo Monasteriensi, & Investitura concessa, ut relevet ab Episcopo & Diœcesi Monasteriensi. Quæ eadem Investitura filiis Ottonis A. 1420. & Nepotis Gisberti A. 1474. hujusque fratris Friderici A. 1490. Friderico successit filius Justus, qui ἄπαις A. 1513. moriens occasionem Liti dedit, cum Monasteriensis Feudum vacuum sibi vindicaret; ex altera parte Limburgo - Styrumensis Domus Hereditatem sibi assereret; demum Geldria de Superioritate Dominii & foro, ubi Controversia judicanda esset, Episcopo se opponeret. Unde triplicia Fundamenta examinanda.

Tractatur Controversia in Tractatu, cui Titulus: Deductio, quâ repræsentatur Jus Territorii, quod Geldriæ competit in Dominium de Borculo &c. jussu Ordinis Geldriæ impress. A. 1665.

Fundamenta Episcopi.

(I.)

FEudalis natura introducta oblatione Gisberti II. & quidem in Investitura Gisberti III. A. 1477. disertè dicit, veri feudi masculini.

Obj. (1.) Monasteriensia feuda utrique sexui deferuntur, etiam vulgari regula de Servis Episcopalibus hoc confirmante.

(2.) Privilegium feudorum Monasteriensium disertè habet ea Verba: sint, da Er meine Söhne sollen wie die Güther, die man hat von un-

unser Kercken in Manqret oder Dienst Manqret laten verfallen erfflicher Folgung, ob die Tochter, oder ob der Sohn 2c. Conf. Fr. Sand. de Feud. Geldr. Tr. 1. t. 2. c. 1. §. 7.

(3.) Conditio Gisberti III. Investituræ adjecta nequit præjudicium afferre heredibus Gisberti I. acquisitoris, unde in Investitura Friderici An. 1490. den unsern und unsers Stiffts Rechten Manlehns entho als süldenen Rechten, als die vor uns unser Kercken, tho Münster, tho Lehn 2c.

(II.) Feudum apertum morte Justi Comitis, qui improles decessit An. 1553. unde jam consolidatum utile cum directo Dominio.

Obj. Non defecit tota Gisberti II. Linea, superstite Irmgerda Limpurgica.

(III.) Unde A. 1579. post Mariæ Hojensis Viduæ Justi, quæ usumfructum habuerat, mortem, Monasterienses, qui hactenus in Petitorio agebant in Camera Spirensi, A. 1579. Dominium cum Præfectura Lichsenvordæ ut suo Jure occuparent, coacti sunt.

Obj. (1.) Fœminarum harum omni remota tam Domini quam Agnatorum conditione in possessione omnium Bonorum debet inniti & in ea defendi, donec alio Juris Remedio evincatur, tanto magis, cum Jus Domini non est liquidum. Agnoverant autem Monasterienses, Irmgardam esse in possessione eo ipso, quod egerunt in petitorio, quæ lis pendebat in Camera.

(2.) Mox post hoc Irmgarda & deinde Successores a Monasteriensibus redintegrationem possessionis petiere, ut violenter erepta amica transactione redderentur. Cum ita nihil Literis commenditiis variorum proficeretur, litem Monasteriensibus intentat Justus coram Curia Provinciali Geldriæ, ubi etiam loco citati Episcopi Procurator cum sufficienti potestate comparuit, unde ibidem pronunciatur contra Episcopum.

(IV.) Perpetua Juris Conservatio, cum & Episcopus sententiam Geldricam agnoscere recusaret, & Camera Spirensis frequentibus Mandatis adversus Limburgum ageret.

Obj. Geldricæ Curiæ debebatur Cognitio, & Sententia in Rem Judicatam abiit.

Fundamenta Geldriæ Ordinum, qui Dominium indiſtinctè ex Geldriæ ſubjectione eſſe aſſeverant. Allegatur pro his Relatio benè fundata in Negotio Borculonenſi.

(I.)

Confeſſio Monaſterienſium, qui in ipſa actione petitoria Spiræ faſſi ſunt in defenſione polit. 36. Dat die Herrſchafft Borkulo nit im Stifft Münſter und deren Bezirck, ſondern auſſerhalben deſſelben Stiffts gelegen, 2c. ſed dein Monaſterienſes perhibuere immediatè Imperio ſubjectum.

(II.) Cum Henricus Dominus de Borculo A. 1236. Ottoni Geldro venderet Grollam, hic Comes promiſit, Dominium Borculo non pluribus Inhoſpitationibus aut Exactionibus oneraturum, quam frater feciſſet. Itaque Jus Hoſpitationis & Collectarum habuit, quod Indicium Superioritatis.

(III.) Domini de Borculo ſemper cum aliis Ordinibus præſentes fuere Decretis & Privilegiorum Urbis Zutphaniæ Confirmationibus ſingulatim A. 1190. A. 1324.

(IV.) Gisbertus Dominus de Borculo cum fratre Guilielmo Domino Bronchorſtio A. 1372 & aliis Geldriæ Nobilibus ſubſcripſit Suſpenſioni Armorum & Securitati præſtitæ, Adjutoribus Ducis Geldriæ & Zutphaniæ Comitis. Sed & illo bello Gisbertus tantum æris alieni conflavit, ut A. 1375. cogeretur Dominium Diepentheim oppignorare.

(V.) Otho Bronchorſt Dominus de Borculo & frater Guilielmus cum aliis Ordinibus Zutphaniæ comparuere, & ſe obligarunt Sigillo appo-

posito in Conventu An. 1418. Ut Geldria & Zutphania non sepa-riri possint, de quali comparitione vid. Reinking. de Regim. Secul. & Eccl. l. 1. & 5. c. 4. n. 98. 99. 100.

(VI.) Gisbertus III. A. 1469. solenniter recognovit, & declaravit cum Nobilitate Dominii & Magistratu Oppidi de Borculo, Patrem suum & Præcessores cum suis Terris, Vasallis & Subditis semper Obsequium & Obedientiam præstitisse Dominis Principibus Ducibus Geldriæ & Comitibus Zutphaniæ, velut bonos & fideles Subditos facere convenit, unde etiam se Adolpho Duci Geldriæ velut bonum Clientem se submittit, promittens Fidem & Assistentiam, ac ut Oppida & Castella Dominii semper pateant Ducibus; Nec minus ut itidem posthac omnes Officiales de Bronchorst, Borculo & Lichtenvordæ observantiam horum Articulorum jurarent. Adjecit Sigilla Nobilitas, Officiales Oppidum.

(VII.) Fridericus Bronchorstius A. 1505. se submisit Obedientiæ Philippi R. Hispaniæ tanquam Ducis Geldriæ.

(VIII.) Justus Comes Bronchorstius, cum ei A. 1539. Controversia intercederet cum Oppido Grolla de Limitibus supremi Provinciæ, Principis Judicium convenit, nempe statim conventum Zutphaniæ, non verò Arbitros ab utraque parte nominari petiit, quod futurum, nisi Dominium Geldriæ fuisset subjectum.

(IX.) Justus Comes conquestus An. 1540. Carolo V. tanquam Duci Geldriæ Neomagi, quod Fiscalis exigere voluerit Contributiones ad Bellum Turcicum, & alia onera imponere, contra quem processurum tempore, qui subditi Geldriæ & ita exempti fuerint, factum sit, obtinuisse a Cæsare mandatum, ut Fiscalis actionem omitteteret. Quin & Carolus V. cum Terrarum a Geldria dependentium Tabulam Geographicam confici curaret, voluit Dominium hoc inseri &c.

(X.) Contribuere hi Domini, ut ab An. 1480. ex Catalogis Contributionum probare potest, in omnibus Oneribus & Exactionibus cum aliis Statibus.

(XI.) Aliqui etiam Nobiles e Dominio vocati fuere ad Status Provinciæ & Comitia &c.

(XII.) Non ignaris Monasteriensibus hactenus Incolæ Dominii Comitibus Zutphaniæ suas Contributiones solverunt & solvunt.

(XIII.) Cum A. 1560. novi crearentur Episcopi in Belgio Daventriensi addictum Dominium Borculo, cum tamen Bulla Pii IV. tantum loquatur de Ditionibus Regi Hispanico Jure hereditario subjectis.

(XIV.) In Matricula Imperii non reperitur hoc Dominium.

Obj. Homagium a Subditis, postquam utile & directum consolidatum An. 1579. obtinuit Episcopus, & ex eo Jurisdictionem, donec vi dejiceretur, exercuit.

Fundamenta Limburgo-Styrumensium, qui Dominium utile sibi vindicant in Dynastiam.

(I.)

VEtus Dominii natura cum terra fuisset initio libera & allodialis, deinde feudo oblata Episcopo Monasteriensi, sed ut non periret Jus fœminis, si masculi deficerent.

(II.) Hereditas Justi Comitis Bronchorstii & Domini in Borculo, ejus morte A. 1553. transmissa ad Consobrinam (matertera Justi natam) Irmgardam Comit. Limburg. Dominam de Styrum & de Wisch tanquam proximam Consanguineam, & alioquin a Gisberto II. primo Vasallo recta Linea descendentem, adeoque proximam heredem. Hæc ad Nepotem Justum, is ad filium Hermannum Ottonem, & hic iterum ad Ottonem Successionem transmisere.

(III.) Eadem Irmgarda cum pridem in Possessionem admissa esset judicialiter A. 1555. hereditatem eam adversus Rudolphum Diepholdinum obtinuit adjudicatam. conf. Frid. Sand. de Geldricis. 3. c. 1. §. 3.

(IV.) Limburgii per vim A. 1549. dejecti, cum precibus nihil impetrassent, Litem in Curia Geldriæ in casu redintegrandæ possessionis intendunt. Procurator nomine Episcopi & Capituli comparet. Tandem An. 1613. d. 17. Julii partes (aderat Dominus Gosvinus Sten-

Stenler Procurator Monasteriensis) ut Jus dicatur, consentiunt, litemque concludunt.

Obj. Procurator Monasteriensis non habebat potestatem contestandi de competentia.

Exc. Originale ipsis Monasteriensibus ostensum, & Procurator ille Gosvinus 13. Dec. A. 1613. post sententiam latam renunciaverat Procurationem & Potestatem, quam præsens in hoc negocio habuerat.

(V.) Sententiâ Geldriæ Curiæ & adjunctorum Deputatorum Hollandiæ, Ultrajecti, Frisiæ & Tetrarchiæ Neomagensis atque Arnhemiæ A. 1613. 19. Novembr. Monasteriensium Exceptiones, cum Jurisdictionis Geldricæ Dominium hoc esse negarent, rejiciuntur, & tandem Processu Contumaciæ instructo A. 1615. d. 20. Decembr. jubetur Limburgius restitui, & ut ei precium fructuum perceptorum & jacturarum a die invasionis A. 1579. una cum impensis refundatur.

(VI.) Ea sententia in rem judicatam transiit, cujus validitas ubique maxima, ac ita adhuc 1500000. floren. Limburgicis debet Episcopus.

Eventus.

CUm A. 1553. ultimus Bronchorstiorum Justus mortuus esset, Maria Vidua Usumfructum retinuit ad A. 1579. ea verò tum mortua, Monasterienses Dominium, de quo cum Irmgarda Limburgia in Camera Spirensi litigabant, vi occupant, citatique a Limburgiis, & comparentes per Procuratorem, Jure coram Geldrica Curia non posse agi causam prætendunt, quia Dominium ad Monasteriensem Diœcesin pertinet, ob hoc Tutor Geldriæ Limburgiæ ad servandum Jus Provinciæ se jungit, &, cum ipsa illorum Confessione probasset, non esse Dominium in Diœcesi, ad alteram Exceptionem, quod Dynastia Rom. Imp. immediatè subdita sit, elicere conatur. Hisce oppositus Actus Homagii & Jurisdictionis post A. 1579. ex Jure Consolidationis utilis & directi Dominii. Cum Causa voce acta fuisset, ex sententia Curiæ An. 1612. scriptis agi cœpit, & A. 1613. Procuratores utriusque partis renunciantes ulterio-

ri-

ribus productionibus, conclusere causam, & ut in Curia Geldriæ Jus diceretur. Cum dicta esset sententia A, 1613. Monasterienses Querelas ad Status Generales devolvunt, ut hi a Consiliariis Geldriæ peterent Informationem & Negocii Rationes. Ob hoc Geldri licet rationes sententiarum ulli dare non tenerentur, deputant ex suo Ordine quosdam, & sententiam in præsentia Monasteriensium eorum objectionibus repulsis justificare conantur, & deinceps in causa pergentes, cum Episcopi Procurator Procurationi suæ renunciasset, nec alius ageret ejus nomine, sed potius ille Mandatis Cameræ Spirensis Comitem ad omittendam in Geldriæ Curia litem adigere vellet, Processum Contumaciæ instruunt, atque A. 1615. d. 20. Decembr. Episcopum ad Restitutionem Dominii, Fructuum, Damnorum & Impensarum condemnant. Hæc sententia A, 1632. 3. Maj. taxata 523995. flor. sententia indicata Episcopo. Sed quæ ob Ordinibus proponebantur ad transactionem amicam, ut Comiti & Posteris Feudum nomine Diœceseos secundum formam antiquam iterum concederetur, & Ordinibus liquidatio æqua fructuum atque damnorum permitteretur, caruere successu. Executio verò in præsentia Commissariorum a Curia Provinciali deputatorum peracta, quoad restitutionem Limburgensis in Dominium. Summam verò eidem adjudicatam Episcopus solvere & agnoscere sententiam iterum obtentis Cameræ mandatis renuebat. Unde posteà Decreto Ordinum Generalium A. 1635. & Geldrorum A. 1640. ut manu forti Executio institueretur ad Comitis Limburgensis satisfactionem, Ebonis Episcopi a Ducatu suo, cum collatio A. 1640. de compositione frustra fuisset, & non alia bona adessent, e quibus Sententiæ satisfieri posset præter solum directorium Dominium de Borculo, An. 1641. Episcopus a possessione prædicti Dominii dejectus est, & Limburgensis admissus. Mox Jura & Prætensiones Limburgenses A. 1642. d. 23. Mart. hastæ subjectæ, atque adjudicatæ plus offerenti. Is fuit Conradus Avus Refensis, qui 22. thaleros obtulerat, quæ a sententia debita ob hoc auferendæ sint. Cum verò Redemptionis tempus in Geldria inter peregrinos 6. annis definitum sit, id expiravit A. 1645. Residuum verò cum Usuris, quod a tempore rei judicatæ conficiat circiter Auri Millionem cum dimidio, non destitere exigere amplius ab Episcopo. Unde ea de re etiam frustra actum in Diæta Monasteriensi. Inde novo Episcopo Christophoro Bern-

Bernhardo A. 1653. A. 1654. literis itidem illi Jus ſuum & Comitis indicarunt, ille vero perrexit, ut ſæpius hactenus factum, & Comes contumaciæ accuſatus, tanquam in priori Inſtantia cauſam deſeruiſſet, & mandatis a Camera urgere Comitem, ut Dominium per formam Attentatus occupatum reſtitueret, & a ſententia Geldrica ab incompetente Judice lata deſiſteret. Viciſſim ut olim quoque aliis Literis Ordines monent, & jubent Comitem, ne moram gerat, aut Sententiæ præjudicari patiatur, pro fide, qua illis obſtrictus ſit, promiſſa Protectione & Defenſione. Mittuntur etiam ad Cameram Literæ fortius Negotii ſeriem exponentes, & quod Comites obſequentes deſerere Ordines non poſſint declarantes Iterum A. 1657. apud Epiſcopum inſiſtere Ordines, ut componeretur Controverſia, qui tamen potius Cauſam renovari & aliorum Judicum Deciſioni ſubmitti volebat. Huic ſe Ordines animosè oppoſuere, novo A. 1663. facto decreto, tandem A. 1665. Epiſcopus hanc etiam cauſam Epiſtolæ ſuæ, qua cauſas Ordinibus, ob quas Arma ſumere cogatur, exponit, inſerit negotium Borculonenſe, quod Dominium vi ab illis detineretur, cui ab Ordinibus aliis Literis reſponſum, & Armis dein factum eſt.

CONTROVERSIA JULIACO-CLIVENSIS.

Hiſtoria.

FAmilia Clivenſis Comitum titulo a fabuloſo Elia Gralio ad Theodoricum X. qui A. 1325. extinctus eſt, & Johannem, Fratres, continua ſerie deduci ſolet. De Succeſſionis Jure ambigebatur, cum Par-Weiſſii & Arculeji inprimis id Adolpho Marcano, qui ex alia Linea ad eundem Eliam referri ſolet, & Theodorici filiam Mariam Uxorem duxerat, controverſum redderent. Potitus tamen eſt hereditate illa Alphonſus filius, ac unitæ Clivia & Marca An. 1368. In hujus filium Adolphum A. 1417. Ducalem Dignitatem contulit Sigismundus Imperator quæ ad poſteros transmiſſa. In his Pronepos Jo-

hannes III. Mariam duxit conjugem. Hæc Juliaco - Montanæ Stirpis non minus antiquæ, quæque in Ramos Juliacensem (Ducali titulo A. 1329. ornatum, & A. 1423. Hereditate ad alteram Lineam transmissa in Reinaldo II. terminatum) atque Montanum, cui An. 1389. decus Ducale accessit. Divisa iterum coaluerat, unica erat Heres, adeoque Ditiones 1496. postquam etiam inter Principatus hereditaria Unio inita esset, Marito attulit. Ita omnia simul possedere filius Wilhelmus ac Nepos Johannes Wilhelmus. Tandem hoc An. 1609. fatis functo plurium Prætensionibus exposita est tot ditionum Successio. Conf. de Historia Adelarii Erichii Chron. Juliac. Summatim verò conf. Limn. 5. 10. 5. Merckelbach. ap. Klock. P. I. Conf. 7. Gramond. 1. p. 13. Meteran. Niederländ. Histor. l. 29. p. 213.

Prætensiones sunt

(I.)
DOMUS NASSOVIA.

HÆc prætendit quartam partem Proventuum Juliacensium, dotem Philippæ Juliacensis, & quartam partem pretii pro Geldria accepti. Causæ Patronus Hugo Grotius peculiari consilio.

(1.) Dos Philippæ filiæ Wilhelmi Mont. Jul. Gothofredo Com. Loenensi nuptæ assignata fuit 7700. flor. dein ob non solutas pensiones aucta ad 2250. Hanc cum Usuris petere possunt Nassovii ob Mariam Loenensem Philippæ Neptem Johanni Nassovio nuptam, a qua illi descendunt.

(2.) Adolphus Dux Montanus cum Johanne Loenensi, Comite Filio Gothofredi & Philippæ Juliacensis A. 1420. quia Reginaldus Agnatus Dux Juliacensis liberis carebat, ei gradu propior erat, licet per fœmellas, quarum Jus eo tempore non spernebatur, ac præterea satis in provincia potens Johannes, adeoque in potiunda ditione ipse hujus Amicitia egebat, pactum iniit, quo Adolpho ita successio Agnati destinabatur, ut solus quidem de Principatu investiretur, sed Johanni & heredibus quadrantem ditio-

num

num earumque utilitatem concederet. Conditio impleta An. 1423. mortuo Reinaldo, ac Johannes quadrantem acceptum ad posteros Wilhelmum Blanchemium, cum quo pactum fœdus A. 1437. repetitum ac Sacramento firmatum, Gerhardum & Wilhelmum II. transmisit. Unde hi sæpe Duces aut Domini in Juliaco appellati: Cum verò ultimus An. 1467. sine liberis mortuus esset, Proamita Philippa Widensis ἄπαις & Maria Johannis Com. Nassovii Uxor hereditatem poscunt, & in hac dictum quadrantem, Juliacenses, quod proles mascula & heres feudalis defecisset, negant, & ab Imperatore hujus etiam quartæ partis Investituram An. 1468. salvo tamen Jure cujuslibet alterius obtinent. Sed Imperator A. 1490. rescribit, ne Investitura facta eis fraudi esset. Et postea A. 1576. visa pacti formula id confirmat, insuper, si quod Jus Wilhelmi Blanchemii morte ad Imperium delapsum esset, dono addens, atque Gerardo factam concessionem revocans.

(3.) Cum post Reinaldi mortem Geldriam invasisset Arnoldus Egmontanus, ad quam etiam Jus Juliacenses ac Loenenses habebant, tandem Gerhardus Juliacensis jus suum A. 1473. Carolo Duci Burgundiæ vendidit 80000. Aur. Electoralibus, cujus Summæ quarta pars ex superiori Conventione Loenensibus atque per hos Nassoviis debetur.

Obj. (1.) Præscriptio.

Except. Bona fides defuit, sed & sæpe interpellati heredes, ut Jus Nassoviorum non ignorarent, eadem interrupta Citatione A. 1471. & A. 1474. etiamsi Litis Contestatio secuta non sit culpa Juliacensium. Semel autem interrupta Præscriptio secundum Jus Canonicum non iterum inchoari potest. Jure Civili autem requiruntur 30. Anni, qui 1476. ad 1542. si demas Engelberti Captivitatem, Henrici Minorennitatem & Bella, ac Renati absentiam, numerari nequeunt 1544. ipsi Juliacenses respondendo ad libellum Nassov. contestati, posteaquam demantur, quæ demi possunt, non remanebunt, quæ sufficiunt præscriptioni.

(2.) Pactum inter Adolphum & Johannem illicitum, quia de Hereditate viventis.

Exc. Lex illa Jur. Civ. sola nitens præsumtione non semper obligat, unde plura Exempla inter Illustres Germaniæ. Sed & postea, cum Blancohemiis ea cessa sint, ex post facto saltem coaluisset. Adde etiam novum Gerhardi & Wilhelmi fœdus.

(3.) Transactio fieri debet de Jure dubio, hic autem Jus Adolphi certum ante Johannem ob fœmininam lineam non idoneum.

Exc. Additiones illas sæpè a fœminis quod petebatur Jus validum fuit. Præterea fœdus fuit, ut Verba sonant, Pacis publicæ & tuendorum Civium ergo.

(4.) De divisione Ducatuum, nisi Cæsar probaverit, invalidæ sunt pactiones.

Exc. Sæpe in Germania Principatus divisi. Nec hic agitur de divisione Dominii, sed Jurisdictionis, Administrationis & Proventuum. Tum Cæsaris Friderici Confirmatio supplet Consensus vicem, & Blancohemii possessione 50. Annorum præscripsere.

(5.) Paciscentes fuere Adolphus & Johannes cum tribus filiis, filiarum verò nulla mentione facta, quæ alias quoque a Feudis Jure arcentur.

Exc. Cum Patre descendentibus omnibus Jus natum filii testimonio tantum adhibiti; Nec Jus percipiendorum Fructuum Feudum est.

(6.) Ab Imperatore Friderico obtinuit consolidariam concessionem quartæ hujus partis Gerhardus, & meritò pars quarta reliquis accrescere debebat.

Exc. Excepit Imperator salvum cujusque alterius Jus, & deinde revocavit.

(7.) Alii Wilhelmi Blancohemii propiores fuere heredes, qui tamen hi sint, non inveniuntur.

Exc.

Exc. Negando, & si fuissent, eorum silentio Jus aliis suum non perit.

(8.) Multa interim acta inter Juliacenses & Nassovios, nec tamen facta hujus Juris mentio

Exc. Ea Negocia cum hoc nihil habere commune, alibi Nassovii testati, quod animum repetendi non abjecerint.

Eventus.

INitio Imperator A. 1471. 1472. Carolum Burgund. suo nomine cognoscere jusserat, sed adversus hunc Juliacenses excepere, quod Nassovius ejus sit Vasallus, A. 1474. ad se revocavit causam, & Trevirensi tradidit. Inde An. 1497. fœdus factum, ut amica transactione non forensi disputatione res ageretur, A. 1502. 1503. Jurisconsulti Stockenii & Aquisgrani frustra ob hoc convenere. A. 1517. apud hos egere Cæsaris Legati, ut controversia finiretur. An. 1543. Renatus Nassovius, ut causa juxta promissum pacis expediretur, non obtinet, sed Dux ad transactionem monetur. Unde res Bruxellas, dein A. 1544. Spiram transfertur. Inde aliis incommodis Nassovii a persequendo Jure detenti, Mauritius quoque A. 1611. adhuc quiescere maluit, quam sua Prætensione amicorum Principum causam gravare, postea tamen proposuit.

(II.)
DUX NIVERNENSIS.

CArolus Gonzaga Dux Nivernensis, dein Mantuanus, descendens per matrem Henricam Cliviam ab Engelberto, Johannis I. Ducis Cliv. filio & Johannis II. fratre, prætendebat Literis ad Ordines A. 1609. datis, quia Engelberto a fratre non alia Hereditas attributa sit, quam quædam in Belgio ex maternis Bonis, ut Johannis Linea, deficiente Engelberti posteris, qui semper contradixerint, ex ditione Clivensi satisfieret, ap. Gramond. I. p. 14. agnationis Jure dicitur nixus, quod fieri non potuit.

Obj. (1.) Engelbertus bona in Francia Nivernium, Retelium & alia accepit pro ſua portione, & quidem cum iis conditionibus, quibus nec ſatisfactum.

(2.) Intolerabile, Engelbertum bona ſua potuiſſe transmittere, ad filias; Johannem non potuiſſe.

(3.) Filiæ Wilhelmi privilegio munitæ ſunt, quod neque in dubium revocare licet.

Eventus.

ORdines reſponderunt, de ejus Jura non conſtare ſibi, ſed ſi quid ſibi deberi exiſtimaret, ut coram Cæſareo Judicio quam armis, ut vivo Duce ante quadriennium feciſſet, experiri mallet. Sed Nivernenſis poſtea Litem deſeruit, atque talis judicialiter declaratus eſt. Et ſic finita eſt hæc prætenſio

(III.)

DOMUS MARCANA.

IN Gallia Carolus Robertus Marcanus Malleporius, in Germania Erneſtus Comes Marcanus, agnationis Jure Comitatum Marcæ tanquam feudum maſculum ſibi deberi prætendebant, nam uterque oriundus erat ex Eberhardo Marcano, fratre Adolphi Comitis Marcani, qui uxoris Cliviæ ſucceſſorem in poſteros ſuos, ex quibus memoratus Johannes Guilielmus ultimus defecit, intulerat. Illius enim Eberhardi Pronepotes, Robertus & Wilhelmus fratres Lineas, Sedanenſem ex qua ille Maleporius, & Lumeam ex qua Erneſtus, deſcenderunt, condidere. Grammond. 1. p. 14. de Marcano; res haud verô procul ſi valuiſſent ut Jure, ita & Armis.

Obj. (1.) Inveſtituræ ſtricti ſunt Juris, illæ verò nunquam ab hac Linea, cujus in illis non fit mentio, Erroris inſimulatæ

(2.) Cum Wilhelmus Dux omnia ſua Feuda, ac ita hunc etiam Comi-

mitatum amisisset, Transactione Venloensi An. 1543. ei ditiones Carolus V. Imp. restituit ex gratia, ut verba sonant, quæque ei virtute hujus tractatus restituuntur. Hoc cum Feudum novum inducat, agnati collaterales non comprehenduntur.

In quo statu jam sit nescio, non multum autem hanc Domum impetraturam esse certum.

(IV.)

ELECTOR BRANDENBURGICUS.

JOhannis Sigismundi Electoris Brandenburgici Uxor Anna, Alberto Friderico Duce Borussiæ & Maria Eleonora Clivia primogenita Wilhelmi Ducis filia nata, pro filio Georgio Wilhelmo cum exclusione Materterarum universalem successionem in Feuda & Allodialia prætendebat, Conf. Klock. Cons. Vol. 1: cons. 7. 9. 6., 849.

Fundamenta sunt

(I.)

VEtus Conditio ditionum, cum in Belgio, Archiepiscopatibus Colon. & Trevir. ac vicinia (jam autem hujus quoque Jura in dubio serviunt explicationi) pleræque ditiones sint vel allodiales vel feuda communia & hereditaria, de quibus possessores & inter vivos & mortis causa disponere potuerint, in iisdem Jus Primogenituræ semper viguit. Fœminina natura probatur Exemplis Beatricis & Margarethæ Clivensium, per quas allatus Comitatus in alias Familias Margarethæ filio Ottonis ultimi Com. Ravensp. Mariæ Juliac. Johanni Clivensi nuptæ. Sic & Diploma Maximiliani A. 1486. quo Jus ad se ab Arnaldo Egmontano Duc. Geldr. & Juliac. per Burgundum, quem hic heredem instituerat, derivatum in gratiam Saxonum cedit, indicio est, Maximilianum

cre-

crediſſe, Geldriam & Juliacum, ad quem Principatum Jus Egmontani a Fœmina arceſſebant, maribus non alligatum. Sic & accedunt pro fœminea Juliac. & Berg. Principatus Natura & Auctoritates Choppini, Heigii, Knichenſis. &c. Sic & Wilhelmus in aſſertione Juris ad Ducatum Geldriæ adverſus Carolum V. allegavit, Majoribus ſuis conceſſum privilegium, quod in defectu Maſculorum Fœminas admitteret.

Obj. (1.) Multa ad Exempla de antiquo ſuccedendi modo allata excipi poſſunt. Nec univerſale eſt, quod de ditionibus Belgicis dicunt. Certè A. 1356. Dominio Genneſo demum Carolus IV. ad Inſtantiam Electoris Colon. conceſſit Jus Succeſſionis fœmininæ, nec ſemper qui occaſione fœminarum ſuccedunt, earum jure ſucceſſere. Certè Adolphus Marcanus in Clivia non ſucceſſit, niſi gratia Caroli IV. cum aliqui eum Par-Weiſſii & Arculeji ex majoris fratris filia dependentes ſaltem major natu frater Engelbertus excluſuri fuiſſent, niſi mera fuiſſet gratia Cæſaris ei tum temporis collata, cum Archiepiſcopus Colonienſis eſſet. Sic & A. 1346. Ravenſperga non ſucceſſione fœminea ſed gratia Cæſaris obtenta Maria Juliacenſis etiam peculiari eguit habilitatione, eamque obtinuit. Confer. Strauch. Exot. 10. 11. 17. p. 287.

(2.) Dux Wilhelmus dicitur in Privilegio hoc precibus impetraſſe, Imperator ex gratia concedere, & quidem tantum pro liberis ex Maria procreandis. Ergo prius non erat fœminina ſucceſſio. Idem ex eo probatur, quia antea quoque Mariæ habilitatio A. 1496. precibus impetranda dicitur.

Exc. Factum hoc excludendæ Lineæ Agnatorum adhuc ſuperſtiti maſculæ in Gallia.

(3.) Non quæritur de Jure, quod obtinuerit ab antiquo in hac ditione, ſed quod Privilegio Carolino introductum.

(4.) Vaſalli Ordinatio de feudo & ſucceſſione non valet ſine Cæſa-

ris

ris confirmatione. Unde sæpe non rata fuere his in Provinciis, ut Reinaldi Testamentum sorori favens Gerhardi Duc. Juliac. & Berg. Pactio cum Archiepiscopo Colon.

(5.) Egmontani ipsi Juliacensem Principatum nunquam tenuere. Burgundi ipsi in pactis A. 1443. titulum hunc Gerhardo concessere. Itaque videtur illa Renunciatio Maximiliani non alio fine facta, quam ad exaggerandam gratiam in Saxones collatam.

(6.) A Choppino Gallo ignaro Privilegii A. 1508. dati & decepto successione Mariæ seducti alii Auctores.

(7.) Wilhelmus producere non potuit Privilegium, unde a Cæsare rejecta Prætensio.

(8.) Argumentum a Viciniæ Jure ductum nihil concludit.

(II.) Jus Primogenituræ, Majoratus & Unionis in Clivia a Duce Adolpho I. Consensu Ordinum A. 1418. per modum perpetui & jurati Statuti introductum in utroque sexu & in Juliaco a Wilhelmo ultimo A. 1496. cum filiam elocaret. Accessit Unioni Juliacensi Confirmatio Maximiliani I. A. 1508. & una cum Cliv. a Ferdinando I. A 1559. (ubi Lineæ Posteritatis & Heredum etiam includit fœminas, inprimis quum Unio a fœmina initium habuit, & impetrans eo anno unicum tantum filium habuit, cujus respectu privilegio hoc non opus fuit. Præterea Ferdinandus æquè Nepotes ac Neptes ex filia dilexit. Unde hoc Privilegio alterum Carolinum ampliatum est à Maximiliano II. A. 1566. & Rudolpho II. A. 1580. Hoc ergo Jure Provincia tenetur tanquam singulari & proprio, ut ex communi & feudali Jure non possit Lis hæc decidi. Hæc quoque Jura successoria & pro statutis recepta, huc usque non abolita, potius Princeps ante Homagium ad illa Juramento obstringitur, quod & Wilhelmus A. 1598. præstitit. Sic ab Adolpho hucusque exempla omnia, Juris hujus proprii Exercitium, sine quo Exclusio Fratrum & Sororum jure vulgari dura & iniqua

fuisset, docent. Sic & Sibyllæ Saxonicæ, si Frater Wilhelmus sine heredibus decederet, cum Exclusione sororum Principatus successio destinabatur, & pactis dotalitiis Wilhelmus parens ad idem Jus respiciens ex sororibus alteri alteram substituit. Unde ditiones nec dividi, nec pro indiviso possideri possunt (1.) ex Dd. & A. B. Constitutione filius primogeniti Patruum excludit, (2.) & filia in matris locum intrat, materteris ob hoc præferenda. (3.) Successio alteri post alterum delata intelligenda, si prior decedat sine liberis. (4.) Præterea ad secundam in Primogenitura, cujus Jus a Nativitate competens ad Liberos omnes transit, Lineam non transire, dum aliquis ex priori superstes eam repræsentare valet.

Obj. (1.) Versamur in terminis novæ successionis ac specialis determinationis ex privilegio Carolino.

(2.) Pactum Unionis A. 1496. a Ferdinando dein confirmatum successores non determinat,& ipsum Privilegium Unionis Ferdinandi A. 1559. tantum modum ordinemque demonstrat succedendi, Carolinum autem Jus & Habilitatem succedendi ipsam. Nec illa pugnare debent; nam eodem die Ferdinandus Carolinum Privilegium iisdem verbis confirmavit, nulla cum ampliatione, itaque, qui capaces sint Successionis, ex Carolino tantum peti debet, modus ex altero, in quo nec mentio ullius novæ aut ulterioris Habilitationis, sed nec posteritatis nomine Jus Feudale fœminas intelligit, cum tantum Privilegia sint stricti Juris, & semper Interpretatio illa præferenda, quæ minimum a Jure Communi recedit, & Maria Juliac. peculiari etiam gratia habilitata fuerat, & Ferdinandus non exclusit Neptes, licet ad Proneptes non extenderit gratiam.

(3.) De Nepotis & Patrui Jure Controversia nunquam decisa est, nec A. B. de Electorali Successione disponens alios casus definit. Tum de transversali hic agitur Successione, non Linea recta. Alias verò Dd, primogeniti etiam filium Amitæ post ha-

habendum ſtatuunt. Clarum enim, Electricem ad ſucceſſionem etiam inhabilem fuiſſe, nam nec inter filios nec filias, nec filiarum filios (qui tres Ordines ſoli in Privilegio Carolino admittuntur) comprehenditur. Repræſentationem etiam in Primogenitura excludunt, cum ſuccedatur Jure proprio & ita ex propinquitate gradus Mariæ Eleonoræ filius potuiſſet præferri Materteræ. Sed & nunquam ad Mariam Eleonoram Succeſſio delatat cum tantum ſub conditione ſuſpenſiva radicatum Jus habuerit, quod cum Morte evanuit, nullo autem modo ad filiam inhabilem transmitti potuit. Primogenita autem habenda, quæ prima eſt inter eas, quæ ſunt ſucceſſionis capaces. Conf. Klock. d. l. n. 945.

(III.) Pacta Dotalitia Mariæ Eleonoræ primogenitæ filiæ, cum A. 1572. deſponſaretur Alberto Frid. D. Boruſſiæ. His enim antiquo Jure Majoratus & Unionis innixis ea ſola cum Deſcendentibus Fratrum Juri ſubſtituitur. Ea autem ſolenniter & juratò a Statibus recepta ſunt, juramento nunc quoque poſterorum Conſcientias obligante; nec minus a Maximiliano II. per Reſcriptum confirmata, ſaltem oblata a Cæſaris Legato Confirmatio, ſic poſtea quoque Sorores Anna & Magdalena ſimilia pacta, dotalitia habuere, quibus illa Mariæ Eleonoræ, hæc illi ſubſtituebantur in ſolidum, ſi prioris contingeret Lineam finiri. Sed & hæ ad obſervantiam paternarum diſpoſitionum obſtrictæ commodo primæ ſororis accepta dote in pactis ſuis renunciarunt, juri ſuo ſolum ſibi ſervantes caſum ſubſtitutionis, quo prior Linea defeciſſet.

Obj. (1.) Cum Pacta hæc ſe expreſſis verbis referant ad Privilegia Cæſaris, Vox, Erben und Leibes-Erben explicanda de maſculinis, ut in Cæſareo diplomate, adeoque nec Pater illi nec voluit derogare, ſed nec potuit Vaſallus ſine Domini Conſenſu aliter de ſucceſſione diſponere & gratiam uberius extendere.

Exc. Reſpici non Carolinum ſed Ferdinandinum Privilegium. Et de feudo novo Pater inter Liberos diſponere potuit, etiam non accedente Domini Conſenſu.

(2.) Pacta non confirmata a Cæsare nisi per Epistolam gratulatoriam, quamvis confirmatio facilis fuit, quia nihil Pactis illis sancitum quod non ex vi Privilegii fluebat, alioqui justam sine dubio Repulsam tulissent, si amplo illo sensu confirmari petiissent.

(3.) Renunciatio nihil prodest Brandenburgicis, quia Regressus expressè reservatus, & conditio Renunciationis non extitit, quæ erat, si Maria Eleonora successisset Fratri, & Heredes idoneos reliquisset.

(4.) Liberorum Juri Mater renunciare non potuit, sed filii proprio Jure ex privilegio Carolino succedunt.

(5.) Filiæ Errore & Ignorantia Privilegii ad Renunciationem inductæ, Conf. Klock. d. l. n. 937.

Exc. (α) Haud credibile est ob Amorem paternum patrem reticuisse Privilegia Filiarum bono data.

(β) Antiquæ Legis necessitate ad Renunciationem tenebantur.

(γ) Ignorantia prætensa probari debet, quod non factum, & nunc serò ab heredibus offertur Juramentum super defunctorum conscientiis, cum tamen nec vivis in tam magna & ardua Causa Juramentum deferri debuerit.

(6.) Renunciationem ante solutionem Dotis a die scientiæ solenniter coram Notario & Testibus revocarunt.

(7.) Renunciarunt tantum Successioni paternæ non feudali privilegiatæ & Successioni Cæsaris gratuitæ.

(8.) Carolus Burggravius docuit, tempore pactorum dotalium Wilhelmum passum esse aliquem rationis defectum.

(9.) Pacta a Statibus non confirmata.

(10.) Casus in pactis duplex ponitur, si Wilhelmus sine masculis decederet, & si filius ejus ante Mariam Eleonoram decederet, sed neutrum contigit.

Ob-

Objectio generalis ad hoc fundata est ex privilegio Carolino, quo nova sit succedendi constituta ratio, ubi filiabus in Terris æqualis Successio tribuitur, & filiæ in primo non item in secundo gradu admittuntur, & quod Elector nec Jure proprio (nam nec privilegio Carolino nec Investituris vocatus est) nec Jure Repræsentationis (quod a feudis exulat) niti possit. Klock. d. l. 896.

Exceptio (1.) Intentio nec Imperatoris, nec Impetrantis fuit, hoc Privilegio antiquo Jura successoria tollere, horum enim nec mentio fit, nec Clausula derogatoria adjicitur, unde ultra mentem dantis & accipientis non est extendendum.

(2.) Nec tolli potuit eo Jus, si vel Princeps Pactis stare noluisset, Statibus, quorum intererat, servari antiquum modum successionis.

(3.) Princeps quoque postea jura eadem A. 1559. 1566. 1580. confirmari petens & obtinens, quod abrogata nolit, testatus est.

(4.) Sed & Pacta dotalia filiarum non juxta privilegium Carolinum sed omnia jura priora formavit.

(5.) Sola verò Intentio Impetrantis fuit, ut filiarum Jura adversus Saxones, qui Masculinitatem propugnabant, amplius firmaret, non ut illæ in partes succederent, vel Terras suas nova feuda eaque Fœminea, cujus naturæ pridem ex pactis Unionis Clivia A. 1418. & ex privilegio A. 1508. Juliacum fuerant, faceret.

(6.) Cæsaris æqualis affectus in neptes superstites quam filias præmortuas, unde neptes etiam nomine filiarum veniunt.

Exceptio, cum Verba clara, frustra suspicionibus inquiritur mens, & cum Dispositio discretivè loquitur, appellatione filii nepos non venit, nec providetur, nisi nominatim expressis.

(7.) Carolinum est tantum Declaratio Juris pridem filiabus competentis.

Exceptio. Atqui clarè Wilhelmus dicitur imploraſſe hanc gratiam & Licentiam, & Cæſar dediſſe meritis ſpecialem hanc gratiam, ſed & gravamen potius fuiſſet, ſucceſſione ad ſolos maſculos filiarum reſtricta.

(8.) Filiarum filii non reſtrictivè ſed communioris loquendi uſus cauſa dicuntur.

Exc. Verba nimis clara, nec Imperatores facilè conſentiunt, ut feudum ad plures gradus fiat fœmininum, ſed illud præcavent, ut in Confirmatione pactorum dotalium Saxonicorum apparet.

(9.) In poteſtate Wilhelmi fuit, conceſſo privilegio non uti, & in pactis Boruſſiæ derogare.

Exc. Hoc Wilhelmus nec voluit, nec potuit, ac aliud eſt favori pro ſe introducto renunciare, aliud privilegio abuti, & ejus terminos transgredi.

(10.) Reliquit Maria Eleonora Nepotem Georgium Wilhelmum, qui eam repræſentat, & Carolino beneficio gaudet.

Exc. Hæc repræſentatio in jure inaudita. Sed fœmina in certo caſu excluſa etiam maſculus in ea excluditur.

(11.) Caſuum in privilegio Carolino expreſſorum nullus contigit, unde res redit ad Regulam juris communis.

(12) Carolinum per Ferdinandinum ampliatum eſt.

(V.)

COMES PALATINUS NEOBURGICUS.

PHilippi Ludovici, Comitis Palat. Neoburg. uxor Anna, filia ſecunda Wilhelmi Ducis cum filio Wolffgango Wilhelmo, non minus univerſalem ſucceſſionem cum aliorum Prætenden-

dentium exclusione sibi afferebat. Extat pro hac parte brevis Deductio Juris, quod Serenissimæ Domui Palatino-Neoburg. contra Serenissimam Domum Electoris Brandeburg. in ditionibus Juliaco Cliv. & appertinentis competit.

Fundamenta.

(I.)

Ditionum vetus natura, cum eodem modo ut alii Principatus feuda sunt Rom. Imp. jure feudi regalis recti dependentia, unde soli masculi succedunt ordinariè, fœminæ non nisi ex Privilegio; de quibus anxiè sibi prospexere Principes, ubi Casus ille timebatur. Ita Investitura Wilhelmi Mont. A. 1404. dicitur, recipere feudum ab Imperatore juxta Imperii Consuetudinem. Adolphus investitur de Successione Reinaldi tanquam Agnatus Anno 1427. exclusa sorore illius sic & Anno 1427. sic & Anno 1436. post patruum Gerhardus pro se & heredibus feudalibus, qui etiam termini in Investitura Wilhelmi de A. 1486. & Wilhelmi de A. 1543. 1559. 1566. 1580.

Obj. Quæ in contrarium dici possunt vid. in fund. Brandenb.

(II.) Privilegium Carolinum, quod admittit post filios filias, sed tantum in primo gradu, ne planè natura prior feudo alteraretur ad successionem, cujus deinde ordinem Ferdinandinum A. 1559. de sola unione primariò agens successionis autem Habilitationem aliunde supponens, explicat, ut Unio & Primogenituræ Jus stabiliatur.

Anna autem Palatina ex superstitibus & capacibus primogenita fuit. Valore autem privilegii Carolini ostendendo probatur

(1.) Facultas concedentis Cæsaris. Quamvis enim Imperii intersit, ut vacua feuda ad illud revertantur, interest tamen etiam, ne numerus immediatorum Vasallorum minuatur. Conf. Klock. Cons. p. 1. Cons. 7. q. 4. n. 609. (2.) Modus concessionis, sic & Pater priorum trium filiarum pactis dotalibus confirmavit Primogenituræ Jus. Ostenditur Jus Primogenituræ ap. Klock. p. 1. Cons. 7. q. 5.

q. 5. n. 742. (1.) Quia Jure feudali feuda dignitatum individua. (2.) Unde Wilhelmus pactis Prutenicis omninò Primogenituram sancire potuit, cum facilis sit reditus ad Jus commune. (3.) Accedit privilegium Unionis A. 1559. a Ferdinando datum. Jam autem Cæsaris est unire Dominia vi superioritatis. (4.) Idem Jus jam introductum pactis dotalibus. A. 1490. Johann. Cliv. & Mariæ Juliac. (5.) Accedit cum Ordinibus Provincialibus de hoc instituta actio, quæ contractus modum sapit. Idem prolixè deducit n. 1097. quod, si & maximè non alia reperirentur pacta Unionis, quam quæ sint in pactis dotalibus A. 1496. quæ confœderationem potius quam unionem inferre videantur, Confirmationes tamen Cæsareæ Unionis Primogenitura consisterent.

Obj. (1.) Ipsi Neoburgici, cum Maria Eleonora viveret, Primogenitura Jus impugnarunt.

(2.) Non omnia indivisa uni tantum cedunt, sed multi etiam eandem rem pro indiviso possidere possunt. Sed &, quid repugnat separari, quæ olim separata fuere. Conf. alia contra Jus Primog. in Bipont.

(3.) Disertè non unam sed plures admittit Carolinum Privilegium.

(4.) Carolinum Privilegium ab Imperatore Rudolpho nunquam confirmatum etiam revocari potuit. Conf. quæst. Tractat. ap. Klock. P, I. cons. 7. q. 4. n. 589.

(5.) Carolus Privilegium præjudicio Saxonum dare non potuit.

(6.) Casus Privilegio Carolino expressi non contigere, unde nunc ex Jure Communi res decidenda. Conf. Klock. l. c. n. 872.

(7.) De Jure Repræsentationis Brandenburg. vid. supra.

(8.) Ferdinandino Privilegio ampliatum & correctum Carolinum.

Accedit (III.) quod Palatini An. 1622. 25. Decembr. apud Imperatorem docuere, quod Burgovia prætensio etiam ipsis cessa sit.

Even-

Eventus.

INter hos duos Prætendentes plurima acta & pleraque, & illicò nomine Brandenburgico Stephanus Hertfeld Cliviæ & Düsseldorpii, Palatinus in Comitatu Marcano & alibi possessionem apprehenderunt (vid. an occupari potuerit possessio, an expectanda Cæsaris Sententia? ap. Klock. l. c. q. 1. n. 11.) Cæsar verò misso Leopoldo donec conveniret sequestri nomine Ducatus gubernare voluit. Cum prius Homburgi sine effectu actum esset, paulo post ult. Maji An. 1609. inter Ernestum Brandenburgicum & Wolffgangum Wilhelmum Palatinum mediante Mauritio Landgravio Tremoniæ convenitur in provisionale medium, ut, servato cuique Parti Jure suo, Brandenburgici & Palatini communi bono administrarent certis Conditionibus Principatus. Huic pacto etiam a Cæsare condradictum, & varia Mandata missa. Interim Foederati auxilio Mauritii Nassovii & Castræi Galli Juliacum ab Austriacis recuperant, & æquali ex parte utraque Præsidio muniunt. Custrini A. 1611. Divisio aliqua, Wolffgango Wilhelmo cum Electoris Conjuge & Consiliariis agente, instituta, & sequenti Anno Elector eam suo consensu firmare negat. Offensionibus inter partes ortis, Juliaco Palatini & Düsseldorpio Brandenburgici exiguntur, cumque hi Batavorum copiis uterentur, Palatinus Austriacos advocat, quorum nomine missus Spinola Vesalium, illi Reesam & Emmericum occupant. Demum An. 1614. Xanti in æqualem Ditionum Divisionem consensum est. Conf. Meteran. l. 3. p. 423. 427. Hunc Tractatum in Effectum deductum Brandenburgici affirmant, Palatini, quod isti antequam pacta subscriberentur Ravensbergam & alia occupassent, negant. Unde An. 1622. Hispanis in Palatini, Batavis dein in Electoris partes iterum transeuntibus, Arma resumpta, quibus non parum ditiones vexatæ, & hæc quoque ora accessio principalis palæstræ belli fuit. In eo statu res mansit Anno 1629. quo Düsseldorpii inter Adamum Schwartzenburgicum Electoris nomine & ipsum Palatinum transactum fuerat, Jure Optionis Palatino concesso; Cum verò iterum Difficultates moverentur, eadem ferè Transactio sequenti Anno 1630. in 25. Annos paucis mutatis Hagæ stabilita est. Ita Electori Clivia & Marca, Palatino Juliacum & Bergensis Principatus cum Dominii Ravensperg & Breskesant concessa. Ravenspergius autem Comitatus in communione Jurisdictionis

nis & Redituum relictus est. Singulis capitibus, quæ circa Regimen Partes fieri vellent, expressum est, & favori pactorum Batavi & Hispani (ut tamen singulæ Partes terna sibi servarent loca) præsidia sua deduxere e Ditionibus. In eo ferè statu res durarunt ad A. 1644. quo ob Ravenspergam recruduere Lites iterum, sed & ea Occasione Elector mentem declaravit, quod omnino Conventione 1629. & 1630. teneri nollet. Ob id Duisburgi A. 1645. Conventus habitus, ac eadem dein contentio utrinque Literis, quæ Typis vulgatæ, 1645. & 1646. repetita, ubi pleraque quod utraque pars in alteram rejiciebat culpam Tremoniensis primi pacti violati, imprimis de valore dictorum Pactorum A. 1629. & 1530. disceptatum est. Brandenburgicus patrem Comitis Schwartzenburgici corrupti persuasionibus inductum Læsionem enormem, Conditionesque non impletas querebatur, præterquam quod Jure proprio ut successor Aviæ non teneatur Patris facto. Neoburgici ad Literas fiduciales Comitis, Electoris Patris Confirmationem, Communicationem cum Batavis, ipsius Electoris præsentis quinquennale silentium, quo ditiones a Patre acceptas possidens pactis non contradixerit, provocabant, Læsionem negabant, imprimis si tempus Contractus respiciatur, Conditiones sua ex parte servatus, aut in aliquarum Impletione Electorales ipsos caussam moræ dedisse, adseverabant, in universum verò Electorem, ut Decessoris Patris pacta servaret, teneri propugnabant. De 160000. Imperial. Electori non solutis itidem pugnatum, cum solutionem a Palatinis susceptam ille, hi non nisi operam in persuadendis Ordinibus promissam, hancque licet sine Effectu præstitam, contenderent. Demum cum A. 1647. Elector copias in Ducatum Bergensem immisisset, 8. April. renovatum per Bursgdorinum prius pactum divisorium in 10. Annos, ea tamen conditione, ut Elector totum Ravenspergium Comitatum teneret, & circa Templa & Ecclesiastica Bona Norma An. 1609. circa Exercitium Religionis An. 1612. observaretur. Secuta posthac Pace Osnabrug. qua Exercitio Religionis datus Annus 1624. Neoburgicus eundem hic etiam observandum contendit, ob quod A. 1651. Elector cum Copiis in Clivensem Principatum venit, atque Neoburgici subditos, Edictis affixis, ne ei in posterum pareant, terrere conatur, immisso etiam in Ditiones Bergenses Milite. Interim, Legato ad Cæsarem misso, Palatinum accusat, tanquam non servatorum pactorum reum, qui, refutata Electoris Accusatio-

tione, arma contraria opponit, donec per Cæſareos Legatos res Menſ. Octobr. ad Pacem reſtitueretur, Religionis Articulo ad Commiſſarios Cæſareos remiſſo, &, ne in poſterum ulla pars alteram bello invadere poſſet, ſeverè ſancito. conf. Brachel. l. 9. p. 193. ſed neque ab illo tempore Concordia inter Principes hos integra fuit.

(VI)
COMES PALATINUS BIPONTINUS.

MAgdalena ipſa quoque filia Wilhelmi & Vidua Johannis Com. Palatini Bipontini ejusque dein liberi præter medietatem Mulctæ 100. Marcarum in Privilegio Carolino adverſus Violatores (præſumunt autem Jura dolum in illis qui Magiſtratus ſupremi Imperiis non obtemperant) conſtitutæ, Reſtitutionem fructuum perceptorum, percipiendorum, expenſarum & damnorum ab Uſurpatoribus ditionum præſtandam & allodialium quartam partem, imprimis petiere, Feuda in tres partes commodo trium Sororum ſuperſtitum Neoburgicæ, Bipontinæ & Burgoviæ dividi, dein ut hujus ſine liberis extinctæ portio accreviſſe conſortibus intelligatur, unde nunc Domus hæc ſemiſſem ditionum ſibi aſſerit.

Fundamenta ſunt

(I.)

JUs Primogenituræ vel Majoratus ad quod introducendum requiruntur, (1.) Superioris confirmatio. (2.) Omnium intereſſentium conſenſus. (3.) Omnium provincialium Approbatio, & (4.) Juramentum (vid. Spreng. Prætenſ. p. 201.) non fundamentum in his ditionibus, quia (1.) alias etiam plerique Principatus & Comitatus hactenus in Imperio diviſiones paſſi. (2.) Et hi quoque Principatus tanto facilius ſeparari poſſunt, quia olim ſeparati fuere. (3.) Illi ita Unione permiſti, ut non a diverſis adminiſtrari poſſint nulla Incorporatione facta. (4.) Indiviſibilitas feudorum intelligenda ratione ſubſtantiæ & dignitatis non ratione bonorum, caſtrorum, locorum &c. (5.) Plures

 eti-

etiam indivisibilia pro indiviso possideri possunt, unde indivisibilitas non infert Jus Primogenituræ. (6.) Unde nec in Unionis Privilegio, quod de Confœderatione loquitur, ejus fit mentio. (7.) Nec vellent ad Introductionem pacta dotalia Borussica a Cæsare non confirmata, quæ etiam (8.) Neoburgici impugnarunt, ut nunc ex illis commodum sentire nequeant. Adde, si etiam pactum Unionis de Jure Primogenituræ loqueretur, hoc ad transversales extendi non posse.

Obj. (1.) Circa divisionem feudorum in Germania non est uniformis consuetudo, & Primogenituræ Jus plerisque Gentibus probatum, est.

(2.) Conditio ditionum olim separatarum, facta unione Cæsarea auctoritate, immutata est.

(3.) Divisionem administrationis & communem administrationem pro indiviso non minus a feudis dignitatum abesse, Doctores ostendunt, &, ne concedatur, Statuum Provincialium status postulat.

(4.) Unio ipsa Primogenituram verbo non expressam secum infert, cum illa sine hac non sortiretur effectum.

(5.) Unde pacta Borussica nixa illius Unionis privilegio satis invalida sunt, imprimis quia feudum Carolino privilegio novum factum, quo casu pater Primogenituram introducere potest.

(6.) Pacta Neoburgici non impugnavere sed eorum Interpretationem a Brandenburgicis prolatam.

(II.) Carolinum Privilegium, quod filias non filiam exprimit, additis verbis: Si illarum tunc temporis nulla in vivis esset, ex una verò vel pluribus liberis legitimè natis &c. dein ipsis ab ipsarum liberis. Sed & diserte Wilhelmus non Exemplo Avi materni uni filiæ sed indefinitè omnibus privilegium petiit, cui petitioni respondet concessio Imperatoris, iis verbis quæ realem Investituræ actum exprimunt.

Obj. (1.) Quæ contra Carolinum Privilegium moveantur, vide alibi.

(2.)

(2.) Cum Carolino, quibus ſuccedendi Jus competat, exprimatur, ex Ferdinandino petenda determinatio modi, unde illa conjugenda ſunt.

(3.) Itaque omnes quidem vocatæ, ſed ſervato Ordine Ætatis & Gradus.

(III.) Inverti poteſt Prætenſio Neoburgicorum, & ita mortua Anna ſuccedere debuit Magdalena Bipontina, quia ſingulæ non hereditario ſed ſuo & proprio Jure ſuccedunt, & privilegium Carolinum primum gradum Wilhelmi filiabus, ſecundum Nepotibus adſcribit. Unde Annæ ſoror non filius (quia reſpectu primi rogantis æſtimandus) ſuccedere debet

Obj. Cum ad primogenitum devenit ſucceſſio, in ea linea dum durat ſubſiſtendum. Klock. d. l. n. 1093.

Except. Jus Primogenituræ ſomnium eſt, & hic ſingulæ ſuccedunt Jure non hereditario ſed proprio.

Eventus.

ESlingæ A. 1590. duo Affines Palatini inter ſe pacti, ut eveniente caſu in perſecutione Juris Uxorum a ſe invicem cauſas non ſeparent. Unde Anno 1609. Tremonienſi Tractatui Bipontina eo excluſa contradixit, ſed ipſi reverſalibus 1610. ſatisfactum, quibus, ut ejus petitioni nec in petitorio nec in poſſeſſorio derogatum intelligeretur, reſcriptum. Ea poſtea tardius Jus ſuum docuit, quæ tamen mora fraudi eſſe nequit, cum illud ex privilegio ductum ſit evidens. Sed nec Contumaciæ accuſari poſſunt, tum quod ipſa eodem tempore mortua, filii autem ad reaſſumendam Litem nunquam citati, tum quod per Amneſtiam omnes Juri ſuo reſtituti, ſi quæ occaſione belli neglecta fuerant. Unde cauſæ ſuæ Juſtitiam Domus iterum poſt Pacem concluſam Typis evulgari fecit. Poſthæc Landspergenſis Princeps, qui dein Patrueli Bipontino ſucceſſit, ſuam prætenſionem vendidiſſe Neoburgico (creditur) perhibetur.

(VII.)

MARCHIO BURGOVIÆ.

CUjus ob Uxorem Sibyllam, quæ non, ut Sorores, renunciaverat, eadem Prætenſio, quæ Sororis Bipontinæ, unde etiam eadem fundamenta.

Eventus.

NOn major ejus quam Bipontinæ a poſſidentibus Principibus habita eſt ratio. Eam dein prætenſionem Palatini Neoburgici ſibi ceſſam docuere, ſed Bipontini cauſſati ſunt, quod, cum Imperator pluribus feuda nova conferat, deficiente uno, ejus portio reliquis accreſcat, hocque Jus nec a Sybilla ipſa nec ab Imperatore potuiſſe Sororibus auferri.

(VII.)

DOMUS SAXONICA.

HÆc Jure Expectativæ olim ab Imperatore Friderico conceſſæ & pactis matrimonialibus Sybyll. Cliv. totam Succeſſionem etiam ſibi vindicare vult, excluſis reliquis omnibus, edita ſunt Sächſiſche Deduction & Sächſiſche Apologia. conf. Strauch. Exerc. Exot. 10. p. 272.

Fundamenta ex Merckelbach. conf. ap. Klock. p. 1. Conſ. 7. p. 85. n. 240.

(I.)

FRidericus III. Imperator An. 1480. 26. Jun. Alberto D. Saxoniæ ob merita contulit Privilegium, ut ſi contingeret Wilhelmum Ducem Juliac. & Mont. morte aut alias Principatus Imperio vacuefieri, ipſe

ipſe ſuccederet. Quod confirmavit Maximilianus R. Romanorum A. 1486. 1. Sept. pro Erneſto & Alberto, ut ſi Wilhelmum ſine herede maſculo feudali contingeret extingui, immediatè deferrentur Ditiones ad Duces Saxoniæ. Iterum confirmavit Maximilianus A. 1495. Jam verò Expectativas dandi Jus eſt Domini feudorum, adeoque etiam Cæſarum, & Succeſſor eo promiſſo tenetur.

Obj. (1.) Caſus ponitur, quo citra dubium Imperio aperitur feudum, quod nondum contigit.

(2.) Nec ſufficit ipſo Jure feudum apertum, ſed neceſſaria eſt ſententia declaratoria adverſus poſſeſſores, qui ſine illa præſcribunt.

(3.) Conceſſio Friderici & Maximiliani non facta conſenſu Electorum & Ordinum. Conf. Strauch. d. l. n. 15. p. 284. qui ibi reſpondet.

(4.) Fridericus deceſſit, antequam feudum aperiretur. Conf. 1. F. 3. & 2. F. 35.

(II.) Conceſſum hoc privilegium præmio Meritorum in Imperatorem & Auſtriacos. Unde non eſt ſimplex Gratia, ſed tranſit in Contractum, & ſucceſſores obligat.

Obj. (1.) Remunerationes non debent fieri alterius damno & præjudicio.

(2.) Nec minus extant merita Juliacenſium & Clivenſ. quibus fundatur privilegium Succeſſionis a Maximiliano datum.

(3.) Promiſit Maximilianus Saxonibus ſatisfacere, unde ab hoc potius & ſucceſſore iſti potuere ſatisfactionem petere, quam a tertio quovis.

(4.) Saxonicæ Domus Merita inſignibus præmiis omninò penſata ſunt.

(III.) Conditio jam extitit A. 1511. Wilhelmo extincto, cui ſola ſuper

perfuit filia, cum tamen Imperii Regalia, majora Feuda in alterum sexum delabi nequeunt, nec hoc Feudum fœmineum fuit, ipso teste Wilhelmo, cum pro habilitatione filiæ de Privilegio prospexit.

Obj. (1.) Nondum probatum, aperta esse feuda juxta Conditionem Friderici III. privilegii, quod intelligi potest de Morte Wilhelmi sine ullis liberis (Verba sunt: Durch Abgang Herrn Wilhelm ꝛc. oder sonst ledig werden) Quamvis autem Maximilianus I. in confirmatione restrinxerit ad liberos masculos, confirmatio tamen addit novum Jus.

(2) Non simpliciter a majoribus feudis excluduntur fœminæ, inprimis mascula progenie deficiente.

(3.) Accessit habilitatio Mariæ per Privilegium, quod potuit pro abundante cautela majori firmitate & nova conditione impetranda peti.

(IV.) Itaque utile Dominium Principatuum ad Domum Saxonicam casu illo ipso Jure devolutum, cum Lege ac ita Contractu Principis sine traditione transferatur Dominium. Et sic in feudi concessione Princeps his verbis, testatum velle, transfert verè dominium. Ita autem concepta verba Maximiliani: Zu Stund und ohne Mittel, jetzt als dann und dann als jetzt. Conf. Strauch. Exer. Exot. d. l. p. 290.

Obj. (1.) Principium falsum a multis Dd. refellitur, traditionem requirentibus in Contractibus cum Principe & in feudis primum quoque acquirendis (aliud enim in filiorum successione quibus paterna prodest apprehensio, obtinet) eam statuentibus necessariam esse ad consecutionem Dominii utilis.

(2) Ex sola Investitura Vasallus nec Jus in re, nec Dominium nanciscitur.

(3.) Saltem fieri id potest, si non ipse Imperator, sed alius realiter possideat.

(4.)

(4.) Wilhelmus tempore Concessionis & postea filius ac Gener continuativè & successivè mansere in possessione.

(5.) Hoc solum privilegio concessum fuisset, ut si vacasset verè feudum, ipsi Auctoritate propria apprehendere possessionem potuissent.

(V.) Ob prius factam concessionem Saxones Johanni Clivio, licet is apprehenderit possessionem, præferendi, & ob hoc isti variis modis prospexere conservationi Juris sui.

Obj. Posteriori anteriorem Concessionem, non attenta illius possessione, præferendam multi negant: saltem alio non obtinet casu, quam si possessio penes ipsum concedentem fuerit.

(VI.) Ita Saxonibus non tantum Jus quæsitum, sed etiam actio realis adversus possessores competit.

Obj. (1.) Utilem Rei Vindicationem is, cui verbalis Investitura contigit, sine traditione instituere adversus possessores nequit.

(2.) Saxonibus nec personalis actio, quia nihil cum illis contractum, nec realis, quæ solius Domini est, ipsi verò sine traditione Domini fieri non potuere, competit.

(VII.) In Feudis ex pacto & providentia adversus posteros, qui hactenus agere non potuere, concurrit, sed successoribus restat utilis Rei Vindicatio.

Obj. Frustra quæritur de Præscriptione Juris, quod in rerum natura nunquam fuit.

(VIII.) Præscriptio etiam excluditur ob bella Gallica, quibus Imperatores metu fœderis cum R. Galliæ a Clivensibus ineundi, Saxonum causam negligere coacti sunt.

Obj. (1.) Fuere etiam tempora pacifica, & in Imperio administratio Justitiæ in perpetuo Exercitio.

(2.) Wilhelmo a Carolo V. quasi subjugato, facile fuisset Cæsari, si quod Saxonum Jus credebat, conditionibus illud inserere.

(IX.) In magnis Feudis per vim occupatis præsumitur mala Fides, nec ea præscribuntur.

Obj. (1.) Tyrannica violentia in Occupatione probari nequit.

(2.) Etiam violentus Occupator ob publicam Utilitatem in possessione confirmari potest.

(X.) Investituræ Cliviis concessæ non obsunt (1.) per sub- & obreptionem impetratæ. (2.) Clausula, salvo jure tertii, in Diplomatibus Investiturarum subintelligitur. (3.) Ipse Carolus V. A. 1521. literis fassus, servatum cuique Jus suum, & investituram concessam prohibendo periculoso cum Gallis fœderi. (4.) Investitura super rebus injustè possessis nullarum virium est. (5.) Nec tenetur Vasallus non possidens petere Investituram, unde Omissio illa Saxonibus fraudi esse nequit. (6.) Hactenus à Cæsaribus semper Domui concessa Privilegia universa confirmata sunt.

Obj. (1.) Saxones Jus amisere, cum Carolo V. ad Judicium se offerente, litem non instruxere, nec se sequentibus Investituris opposuere.

(2.) Agnovere illi Clivios pro legitimis Dominis ditionum in pactis dotalibus A. 1526. sola protestatione loci addita, nec, cum A. 1544. illorum Confirmationem peterent a Cæsare, Privilegii prioris mentionem fecere ullam.

(3.) Protestationes & Interpellationes extrajudiciales non tollunt præscriptionem.

Exc. Quæ per viam Implorationis, Supplicationis, Petitionis quæsita, apud Dominum feudi, & in Comitiis extrajudicialia haberi nequeunt, ad interrumpendam præscriptionem. Inde A. 1572. Pactis Borussicis opposita Protestatio, contradictum a Christiano II. quæsita in Aula Cæsarea a Neoburg. Curatela &c.

(4.)

(4.) Negligenti Jus suum persequi, quantumvis non possideat, tempus petendæ Investituræ currit.

(XI.) Pactis Dotalibus A. 1526. 8. Aug. initis, & ab Imp. 13. Maji A. 1544. confirmatis, casu quo Johañes & Maria nullos relinquerent masculos heredes, & hi iterum nullos heredes, ut Principatus ad Sibyllam Johañis Friderici Saxonis Uxorem & posteros deferrentur. Quamvis enim sub posteris loco tantum heredum simpliciter fiat mentio, qualitas tamen masculinitatis ex priori repetenda. Unde in confirmatione Caroli V., daß der jetzige Hertzog, oder seine Erben ohne männliche Lehens-Erben 2c. quæ adjectio etiam in Reversalibus Clivensium, sed ex subjecta materia vocis sensus accipiendus, cum agatur de feudo Imperii masculino, & constabat, in infinitum fœminas excludi. Nec Dux Wilhelmus neptes pro filiabus dilecturus erat. Hoc quoque sensu Saxones pacta hæc accipisse constat, & alioqui vix spes fuisset conditionis, quæ Substitutioni posita, aliquando futuræ. Tum paciscentes non tam certos Casus notare, quam potius Existentiam aut Defectum Masculorum respicere voluerunt, & eorum Intentio potius, quæ durationem Clivicæ familiæ respiciebat, quam nuda verba observanda.

Obj. (1.) Pacta & Conventa stricti Juris sunt, nec ad casus non expressos extendenda.

(2.) Unde Casus expressus nec contigit, nec contigere potest ulterius, cum Johannes Wilhelmum, hic Johann. Wilhelmum reliquerit, ac ita etiam in secundo Gradu masculi sunt.

(3.) Omissum in Scriptura dispositiva habetur pro omisso.

(4.) In secundo Gradu omissa Masculinitatis nota, ostendit contrahentes non aliter voluisse.

(5.) Contrahentes Johannes & Maria in ipsa hac Dispositione clarè mentam suam explicant, quod filiabus in defectu masculorum saltem in Principatibus Juliac. ac Berg. ac Comit. Marc. Jus Successionis esse possit. Unde sub filii heredibus etiam fœmellas intellexere.

(6.) In dispositione fœminæ heredum nomine tanto magis intelli-telligendus uterque Sexus.

(7.) Sic & in mentione heredum Sibyllæ & Joh. Friderici, quoties ea repetitur, nunquam Masculinitatis qualitas additur, quod in illis etiam sine sexus discrimine successionis omnes liberi futuri fuissent capaces.

(8.) Alioquin Ducis Wilhelmi filiæ ab omni successione non tantum feudalium sed & allodialium dispositione avita exclusi fuissent, cum illis omninò non providerit.

(9.) In Tractatu Spirensi A. 1544. Wilhelmi (is enim ibi non ut in prioribus Johannes intelligendus) heredibus non requiritur Masculinitas in primo gradu, sed in ulteriori secundo. Unde Wilhelmi filiæ non exclusæ. In Cæsareâ verò Confirmatione ipsa Verba Pactorum repetuntur, ubi iterum Wilhelmi heredibus hoc onus non impositum, sed nec confirmatio Jus novum parit ultra tenorem confirmati.

(10.) Quod Ordines Reversalibus adjecere, nihil præjudicat, nam relato, non referenti standum.

(11.) Non agitur de Investitura feudali, sed conventione matrimoniali, & pacto de succedendo in allodialibus & feudalibus ab illis, qui fœminarum credebant nullum Jus esse ac filiabus, neptibus æque ac filiæ gratiam Cæsaris sperare poterant.

(12.) Non semper filia magis dilecta quam neptis, saltem contingens fuerat, ut hoc pacto neptis melioris fieret conditionis.

(13.) Saxones quo sensu hæc pacta acceperunt, parum interest, cum verba sensum liquidum ferunt.

(14.) Cum Wilhelmus unicus Johannis filius adhuc puer esset, & jam vix alia expectaretur proles, spes deesse non potuit.

(15.) Si nudè duratio familiæ respiciebatur, aliis hoc verbis fieri potuit debuitque.

(16.) Vocantur tantum ad successionem Johann. Frideric. & Sibyllæ li-

liberi masculi, non sequentes gradus, quamvis verò latius explicet hæc Cæsarea Confirmatio, ab ea tamen Jus novum peti non potest, cum præsertim se referat ad pacta dotalia.

(17.) Apparet ex Tractatu Spirensi An. 1544. Cæsaream Confirmationem habuisse conditiones, & in illis, si Eleonoræ filiæ Ferdinandi primogeniti filii Electoris matrimonium completum fuisset, quod non factum.

(18.) Non potuit ea extensio pactorum dotalium fieri per confirmationem, inscio Wilhelmo.

(19.) Elector in Bannum declaratus Jus amittere potuit, unde eodem tempore Carolus V. Wilhelmo Jus successionis fœmininæ concessit.

Exc. Jus Sibyllæ fuit, non Johannis Friderici, & Restitutio facta A. 1522. De quorum illo tamen, an fœminæ capaces sint, & hoc, num in præjudicium tertii valeat, dubitari potest.

(XII.) Addi potest Investitura a Cæsare Rudolpho II., concessa A. 1610. 27. Junii Christiano II. Electori & reliquis agnatis.

Obj. Cæsari in hac Hypothesi non unicè præjudicium competere, probat Merckelbach. ap. Klock. p. 1. consf. 7. n. 144.

Objectiones Generales.

(1.)

NOn liquidi Juris esse, quod Principatus hi sint certo masculini. Unde Maximilianus A. 1508. Mariam habilitavit A. 1509. pactum successionis Saxonica Expectantia rescissa confirmavit, & Clivios indemnes præstare An. 1516. promisit, quod tanto facilius potuit firmari.

Exc. Imperator Capitulatione adstringitur, ut Ordinum Jura & Privilegia confirmet.

(2.) Merita Wilhelmi, & ne, si feuda Imperio aperta declarentur, alia etiam feuda inserta alio raptari possint, unde ditionum Laceratio cum Reipublicæ damno.

(3.) Caroli V. novum Privilegium A. 1546. fœmineam Successionem stabiliens, cui Wilhelmus Cliv. cesserat Geldriam & Zutphaniam.

Exc. An Rudolphus privilegio Carolino obligatus fuerit? an potuerit revocare? vid. ap. Klock. p. 1. Consf. 7. q. 4. n. 590.

(4.) Præscriptio.

Exc. Vid. Strauch. d. l. p. 291.

Eventus.

OBtinuere Saxones, cum per Legatum Wolffgangum Mansfeldium Galliæ Regem & Batavos, ne se immiscerent, rogassent, Investituram a Cæsare A. 1610. qui etiam per Electorem Trevir. Landgrav. Darmstadinum & alios egit cum Principibus, ut admitterentur. Anno sequenti Juterboci Elector Brandenburg. cum ipsis pactus est, ut singulas tertias partes nanciscerentur ipse Neoburgicus & Saxones; sed quia consensus Neoburgici præsuppositus, nec secutus, ab illo etiam recessere Brandeburgici; Nec postea quoque Jura hujus Domus, cum reliquæ duæ partes inter se partirentur, Principatus attenta sunt; ipsa verò ut ob belli turbas a persequendo prohibita est, ita tamen illa ex animo vel manibus nunquam dimisit.

Eventus
in Genere.

AB initio mox, an Cæsari soli, an verò Principibus ipso eum Cognitio Litis debeatur, controversum fuit, (conf. Klock. d. l.) dein Matthias Imp. omnes partes A. 1615. ad Tribunal Aulicum Imperiale avocavit, certa procedendi & decidendi ratione præscripta. Quæ iterum a Cæsareis Deputatis Conventu Düsseldorpiano indicto A. 1628. Acta

Acta vid. apud Meteran. L. 45. p. 587. & p. 584. Pace Osnabrug. art. 4. §. ult. decretum, ut Controversia ordinario Processu coram Cæsarea Majestate vel amicabili compositione vel alio legitimo modo sine mora dirimatur, & eodem art. 4. §. ad hoc si quæ &c. Palatinis evacuari jubentur, si quæ Feuda Juliacensia aperta Juris via evictum sit.

PRÆTENSIO REIPUBLICÆ Genuensis.

GEnua vetus Liguriæ Urbs diu floruit, nemini, si Imperium excipias (conf. Conring. de Fin. Imp. Rom. Germ. c. 23. p. 504. cui salva Jura servarunt A. 1575. Legati Cæsarei. Thuan. l. 61. p. 169. sed absolvit Rempublicam ex Italis JCtorum suffragio, Art. Duck. de Autor. Jur. Civ. Rom. l. 3. c. 2. n. 12. p. 188.) subdita. Dein, qua ratione sub Francis & Mediolanensibus fuerit, alibi dicitur. Tandem Andreæ Doriæ Defectione A. 1528. in Libertatem iterum se vindicavit, ut tamen Hispanorum ferè Protectionem potius quam Amicitiam colat. conf. Thuan. l. 51. p. 1096. l. 61. p. 169. 124. inprimis 161. 162. (ubi quod Gallicum Legatum in Senatu admisissent, apud Hispanum se excusant.) Capriat. l. 8. p. 626. &c. Demum tempore Urbani VIII. (vid. Crus. de Præem. 3. 12. 19. 20. p. 536.) & dein A. 1645. cum a Republica hac ad bellum adversus Turcas Defensioni Venetorum gerendum Pontifex auxilia sollicitaret, ea per Oratorem Raph. de la Torre Regiam Dignitatem sibi deberi coram Pontifice prætendit. vid. Siri Mercur. T. V. P. I. p. 805. 806. Molken. præfat. ad Conclav. Innocent. X. Besold. de Sess. Prærog.

Fun-

Fundamenta allegantur.

(I.)

ANtiquitas & Nobilitas Reipublicæ.

(II.) Gloria Majorum, qui ultimi in Italia a Romanis ſubacti, primi eorum Jugum excuſſerint, inde ad Tanaim & Syriam usque protulere adverſus Infideles Imperium, ut Reges etiam Sardiniæ vectigales redderent, qui nunc quoque ſingulis trienniis ſe in Urbem ſiſtere tenentur. Ita ſubjecere quoque Regnum Cypri ſed ſingulari Generoſitate reſtituerunt Petrino Regi, qui Vaſallum ſe conſtituit. Græci Imperat. in certam annuam Recognitionem ipſis pendendam conſenſere, Litora ſubjecere Provinciæ, Hiſpaniæ, Africæ, Græciæ, Macedoniæ, Chii, Lesbi. Unde Friderici Imp. Elogium, eam caput ultra omnes maritimas Italiæ Civitates extuliſſe; unde tituli illi dati ab Imperatoribus, Pontificibus, Regibus, Potentiſſimæ, Glorioſæ, Invictæ, Triumphatrici Infidelium, Duci, Sereniſſimi & Celſitudini. Unde & A. 1373. Ballivus hujus Reipubl. ante Venetum in Coronatione Petrini R. Cypri Famaguſtæ ire prætendit, cumque, orto tumultu & Rege in hunc inclinante, Genuenſes, armis ſub Veſte tectis, in Regiam irrumperent, atque a Rege per Venetos monito è feneſtris præcipitati eſſent, contumeliam bello Respublica ulta eſt, & Regem captum ad Tributum ſolvendum coegit. vid. Blond. 10. Dec. 2. Platina in Gregor. II. Viciſſim Genuæ a Senenſibus Prærogativæ Controverſia mota A. 1530. cum Carolus V. coroneretur Bononiæ, ſed utriusque Legatos pugnis agentes templo Cæſar excedere juſſit. Jovius Tom. II. P. I. 27. Claſſes emiſſæ contra Piſanos A. 1119. 80. triremium & 63. aliarum navium cum 22000. militibus. A. 1147. contra Saracenos 223. Navium, in quibus 63. Triremes & 22000. Militum. A. 1242. adverſus Fridericum II. & Piſanos 83. trirem. & 13. majoris molis (Galeazze) ultimo bello Piſano 627. navium Anno 1295. contra Venetos 200. Trirem. & 45000. Milit.

(III.)

(III.) Merita in Ecclesiam & Sedem Pontificiam. Defendere enim Genuenses Johannem VIII. Gelasium II. Innocentium II. Alexandrum III. Innocentium IV. Urbanum V. Primi ex Italis sacras Expeditiones suscepere, aut juvere A. 1093. 1097. subacto littore Antiochiæ A. 1099. 1100. captis Asura & Cæsarea, A. 1102. Gibella & Accone, A. 1105. Ptolemaide, A. 1109. Tripoli, A. 1110. Beryto. Sic & Coloniis Genuensium Archipelago & Taurica Chersoneso maximè adjuta res Christiana.

(IV.) Actualis possessio Regni Corsicæ Civium sanguine a Saracenis vindicati, etiam 7. seculis servati.

(V.) Dominium Maris Ligustici, quod a Saracenis purgarunt, & Pisanorum æmulam potentiam in eo represserunt, unde hoc etiam Diplomatibus Imperatorum confirmatur. Conf. Conring. de Fin. Imp. c. 30. p. 848.

PRÆTENSIO REGIS FRANCIÆ IN SARDINIAM.

Historia.

INsula hæc maris inferi post Carthaginenses Romanis paruit, dein a Saracenis infestata est, sed iterum a Christianis recuperata, Pontificis autoritate, (de cujus fundamento alibi) eam Pisani, post hos Arragonii, qui tamen diuturna & gravissima bella ob Insulam cum illis & ipsis incolis factiosis gerere coacti, tenuere, in horum verò potestate nunc quoque cum Siciliæ & Neapolitano Regno ea perseverat. Suo tamen Regi (dubium an consensu publico) Cassanus des Dr. de Franc. l. 1. c. 9. p. 471. Jus in eam vindicat.

Fundamenta Francica apud Cassan.

(I.)

NOn Franci solum fuere Normanni, qui præter Neapolitanum Regnum hanc Insulam eripuere Saracenis, sed & cum Petrus Rex Arragoniæ fieret Hostis, Sedis Pontificiæ, hæc feudis eum omnibus, in quibus hæc Insula, privavit, atque A. 1282. in Carolum Andinum contulit.

Obj. (1.) Normannorum facto nihil Francis accedere potuit Lucri, sed & non illis, verùm Pisanis & Genuensibus debetur Gloria Insulæ Saracenis ereptæ.

(2.) Pudenda est ἀνιςοϱησία Cassani, Jacobum I. & II. Arragonios confundentis. Huic enim Sardiniam demum An. 1295. concessit Papa, quomodo ergò Petro hujus patri adimere feudum & Gallis conferre potuit Sedes Pontificia, quæ feudum nondum dederat.

(II.) Jacobus Rex Majoricæ a Fratre ditionibus injustè exutus A. 1394. eas, in quibus etiam Sardinia, pretio 120000. Scutatorum Regi Franciæ Philippo addixit. Venditionem ratam habuit dein frater Petrus Rex Arragoniæ, cumque non nisi tertia pars pretii soluta fuisset Jacobo per Legatum Petrum Fenouillet, residuum sibi solvi curavit. Hoc facto successores tenentur.

Obj. (1.) Vendidit tantum Monpelii Jura & Dominatum ap. Surit. Ind. rer. Arrag. ad An. 1349. nulla mentio aliarum ditionum. Ipse Cassan. l. 1. c. 6. p. 352. de hac venditione loquens tantum meminit præter Monpelium Baronatum Puget & Humelai. Conf. Marian. l. 16. c. 12. Sed & huic fini illam ditionem vendebat, ut reliqua ab Arragonio erepta recuperaret. Hinc etiam Petrus, qui non frater sed agnatus Jacobi non amplius quid ratihabuit, quam de quo prius convenerat inter contrahentes, ubi tamen ultra Monpelium Omeladesia & Carlodesia ditio exprimitur, vid. Surit. ad A. 1350. ubi utique inter

ter ea, quæ cessit Regi Galliæ, non est Sardinia, in qua tanquam sua ipso adhuc Anno & seqq. bona gratia Francorum bellum gessit.

(2.) Nec si Balearici omnia vendiderint, Sardinia unquam in Balearicorum Regum potestate fuit, quæ demum Jacobo II erat a Pontifice data, cujus Patruus Jacobus I. Rex Balearium, quæ aliunde nepoti concessa, ad suos transmittere nequivit. vid. Surit. Ind. Rer. Arrag. ad A. 1279. ubi enumerantur, quæ Balearicæ familiæ bona fuere.

(III.) Johanna Marchionis Montisferrati Heres fratris Jacobi omnia Jura sua in hanc Insulam & alia sua bona A. 1373. Ludovico Andino donavit. Conf. Surit. Ind. Rer. Arragon. ad Annum 1375.

Obj. Johanna Balearica Montisferratensis Marchionissa nulla fuit, sed Isabella, & ea demum A. 1375. fratri defuncto successit. Cæterum non potuit illa alii donare, quod nec ad se, nec ad fratrem, nec ullum è Majoribus spectavit.

(IV.) Sardinia unà cum Comitatu Ruscinonensi oppignerata Ludovico IX. Regi Francorum pro 300000. Scutatis An. 1462. quæ nunquam reddita, licet in utilitatem Regni motibus tum exagitati evidenter conversa.

Obj. (1.) Remisit debitum Carolus VIII. & oppignorata reddidit.

Exceptio (1.) Conditiones a Ferdinando Catholico non impletæ. (2.) Non potuit remittere Carolus, quia summa ex Domanio accepta, quod inalienabile.

Obj. (2.) Ruscinonem oppignoratam dicit Comin. l. 6. c. 10. non Sardiniam, ut & Luc. Marin. Sic. de Reb. Hisp. l. 18. qui dicit oppidum Perpignanum totamque Provinciam Ruscinonis. Sic & Ant. Nebriss. Rer. Hisp. dec. 1. l. 3. c. 2. & 10. Nec aliter Paul. Æmil. l. 10. in Ludovico XI. & Arn. Ferron. l. 1. in Carolo VIII. Quid ergò Juris Galliæ in Insulam ex hoc contractum, qui nullo modo Insulam attinebat.

Objectio Generalis Hispanorum.

SI quam maximè ullus Galliæ titulus in Sardiniam foret, posset esse Renunciatio in pactis Madritensibus. §. 7. & 22. Crespiac. §. 12.

Eventus.

MAnsere in perpetua possessione Hispani, nec eis lis de Insula a Rege Galliæ mota. Eam vero A. 1561. Antonio Borbonio loco compensationis pro regno Navarreno seriò aut simulatè destinabant ap. Thuan. l. 28. p. 39.

PRÆTENSIO IN REGNUM HIEROSOLYMITANUM.

Historia.

POstquam Hierosolyma a Christianis expugnata fuerant, Gothofredo Bullionio An. 1099. Regnum delatum est, quod post eum frater Balduinus de Burgo dictus è Retelensium Comitum sanguine administravit. Inde successit Fulco Andegavensis ex Milesinde filia gener, atque huic filii Balduinus & Almericus. Hunc fratrem excepit Balduinus IV. leprosus. & hunc, qui Sorore Sibylla atque Guilielmo Montisferratensi prognatus fuerat, Balduinus V. qui brevi post a Vitrico Guidone exutus, cui thronus, quem invaderet, patuit, brevi tamen usura, quia eodem Anno 1186. a Saladino præter ipsum Regem Hierosolyma, Arcalon, Ptolemais capta; Cum dimissus Guido regnum qualicunque vi iterum repeteret, æmulus obstitit Conradus Montisferratensis Princeps, qui Balduini & Sibyllæ sororem Isabel-

lam

lam in matrimonio habebat. A Conrado qui Tyri Sedem fixerat filia nata Maria, quæ Johanni Brennæo nupſit, ſed hic, poſtquam aliquandiu felicia Arma geſſiſſet, in Ægyptum uſque Victor procedens, tandem tamen Conatus omittere coactus eſt, & fruſtra Europæorum Auxilia ſollicitavit, tandem mortuus A. 1237. Ejus filia Jolantha Friderici II. Imperatoris & Siciliæ Regis Uxor fuit. Ex altera parte Guido Luſignanus Ptolemaidi & dein Cypro imperavit; poſt eum Sceptrum idem frater Almericus ipſe etiam Iſabellæ Hieroſolymitanæ ultimus Maritus geſſit, & ſucceſſionem ad poſteros Luſignanos transmiſit. Inde varii tituli Regni ejusdem oriuntur a Brennæis aut Luſignanis arceſſiti.

(I.)

Pontifex ap. Sprenger. p. 166.

(1.) Quia Fridericus II. Imperator in nuptiis cum Jolantha Brennæa Hieroſolym. regnum junctum Siculo, quod feudale Pontifici, in eandem naturam mutat acceſſionem.

Obj. Acceſſio non facta regno Siciliæ, ſed Friderico ipſi.

(2.) Quod Renatus a Pontifice exutus regnis.

Obj. De Hieroſolymitano nulla mentio.

(3.) Nicolaus IV. Carolum II. coronavit *Siciliæ* & Hieroſolym. Regem ap. Bzov Tit. 13. ad A. 1289. ſic & Johannem & Maritum Ludovicum A. 1325. Bzov. T. 14. ad A. 1352. n. 5. nec aliter puto Carolum Dyrrachium a Papa Urbano Anno 1381. coronatum.

Obj. Coronatio non inducit Superioritatem. Quod argumentum ad rem faciat ap. Sprenger. cum Mariæ Friderici III. filiæ Regnum Siciliæ adjudicatum ſcribit, non capio. Ut enim ipſe Siciliæ Regnum exprimit, ita & apud Surit. Rer. Arrag. ad An. 1277. Teſtamentum Friderici Patris tantum Siciliæ Regnum ditiones Athenarum, Neo-patriæ & Inſulas Siciliæ adjacentes exprimit.

(II.) Reges Galliæ & Reges Hiſpaniæ, quorum hic etiam in titulo mentionem facit, uterque ob regnum Neapolitanum, quod, qua ratione ab illis vindicetur, alibi videndum.

Regno autem Neapolitano junctum Hieroſolymitanum intelligi poſſet illis fundamentis.

(I.) Matrimonio Jolandæ ſeu Joles Brennenſis & Friderici II. qui ipſe etiam obtinuit Hieroſolyma & conſortem Regni filium Conradum ex Jola natum conſtituit, vid. Bzov. T. 13. ad A. 1229. n. 1. conf. A. 1235. n. 8. & 12. 58. n. 13.

(II.) Ceſſione, qua Maria Rupini vel Raymundi Antiocheni ex Meleſinde Hieroſolymitana filia, vidua Friderici Suevi nothi, Princ. Antioch. jus ſuum ceſſit Carolo Andino Regi Neapolitano An. 1276. qui ob hoc illam Coronam ſumſit. vid. Sammarth. Hiſtor. Genealog. Dom. Franc. l. 30. c. 1. unde poſtea, cum Templarii reddidiſſent Regi Cyprio Coronam ſacram Regni, Carolus *II.* Rex Neapolitanus Ordinis bona in Regno ſuo Fiſco addixit. ap. Bzov. Annal. T. 13. ad A. 1289. n. 15.

(III.) Sæpius repetita Coronatione, cum præter Siculi titulum Regni etiam Hieroſolymitani in Inauguratione aſſumerent.

Opponi multa poſſent, ſi quis Genealogiam Luſinianam conſideret, ut & Friderici II. ſucceſſionem.

(III.)

DOMUS LOTHARINGICA.

QUæ Scuto areolam Hieroſolymitanam inſerit, non tam ob Gothofredum Bullionium Regem Hieroſolym. Lotharingiæ Stirpi hactenus falsò intrudi ſolitum, quam ob Succeſſionem Andegavenſem, quæ Jura Neapolitana complectitur.

(IV.)

(IV.)

DOMUS SABAUDICA.

EX Succeſſione Cypriâ Luſinianorum Prætenſionem arceſſerat Hieroſolymitanorum, cum Luſiniani Jura Hieroſolymitana tanquam ſibi debita in titulis aſſervarint. Nec tamen titulum Sabaudi hactenus aſſumſere, contenti, Symbolum in Scuto deferre.

Præter hoc Montisferratenſes (quorum ſcutum ſuo nunc inſerunt Mantuani) Hieroſolymitanæas Cruces inſignibus adſcripſere propriis, fortè tamen memoriæ potius, quod ex familia aliquot Reges Regno illi præfuerint, quam quod Prætenſionem ad ſe ſpectare crederent. Pari modo etiam Urbinates cum Neapolitanis reliquis Symbolis cruces has Scuto inſeruerunt.

In Familia Badenſi Ludovici Wilhelmi Principis Sigillum Hieroſolymitanas Cruces etiam defert, quod Maria Sabaudica, Soror Caroli Bellicoſi Duc. Sabaudiæ nupta Philippo March. Hochberg. Jus Cypri & Hieroſolym. in Hochbergiis, a quibus illud ad Badenſes.

Eventus.

A Pluribus jam Seculis cum Urbe illa Palæſtinam totam Mahometani tenent, nec inani gloria veterum Titulorum moventur.

Con-

Controversia Præcedentiæ inter Civitates Imperiales & Nobilitatem Immediatam.

Historia.

NOrimbergæ primum A. 1619. in Conventu Correspondentiæ orta inter Ordinem Equestrem Franconiæ & Civitates Contentio. Crus. de Præem. 4. 25. 24. p. 8. 18. Dein Francofurti, A. 1631. & A. 1634. Nobilitas Immediata de sede priori litem Civitatibus liberis & Imperialibus fecit. Eadem magnis animis agitata, misso a Nobilitate Wolffgango à Gemmingen in Monasteriensi Diæta. ap. Vitt. Siri. T. 5. p. 4. p 348. & seqq.

Fundamenta pro Civitatibus apud Sirium, &c. &c.

(I.)

COnsueta formula & series actorum publicorum, ubi Electorum, Principum & Statuum mentio fit. Nobilitas verò immediata nunquam Statuum nomine venit, in Matricula non continetur, ad Comitia non vocatur, nec Suffragium illis conceditur, quod Civitatibus in Comitiis & circularibus Conventibus nunquam negatum. Status autem haud dubiè præferendus illi, qui status non est, nec enim major in Imperio quam illa admissio Dignitas esse potest. Porrò Civitatum Collegium reliquis Collegiis in Deliberationibus quibuscunque publicis Jure Fisci, Archivi, Legationum &c. quibus destituuntur Nobiles, æquale habetur. Sic & Abbates & Prælati, qui Natalium Jure non Nobiles, præferuntur haud dubiò Nobilitati ob Jus Status. Si quando interfuere Nobiles Comitiis, non tanquam Status concurrisse, sed ut Negocia

cia Cæsari & Statibus commendarent, & ut gaudere eorum Beneficio possent, quæ inter Status conclusa.

(II.) Extra Germaniam etiam in Italia ac Helvetia Respublicæ non Nobilitati solum, sed etiam Principibus liberis anteponuntur, respectu habito non ad singulorum, qui in Republica munia gerunt, Conditionem, sed ad Dignitatem Status, Regalia & alia Jura annexa.

(III.) Si etiam personæ ipsæ considerantur, quod fieri non debuit, sunt tamen inter Civitates Imperiales, quæ Civibus Nobilissimis gloriari possunt, ut Augusta Fuggeris, aliæ Patriciis, quibus in Nobilitate immediata Locus atque Ordinis militaris Accessus concedatur.

(IV.) Ex Imperii Constitutionibus & Recessibus constat, Nobiles Civium nomine comprehendi, sed & olim major pars Nobilitatis in Urbibus habitabat, & munia publica & Magistratus gerebat. Sunt alii Nobiles privati Ministri Aulici Prælatorum & Principum, quod non tam Dignitatem quam Conditionem duriorem infert. Cumque contingat, ut in Territorio Civitatis aliquis Nobilis certa bona possideat, quorum ratione solvit Reipublicæ tributa, absurdum est subditum Domino anteponi.

(V.) Infinitis modis majora sunt commoda, quæ Imperium a Civitatum Ordine quam a Nobilitate trahit. Cum una Civitas Imperialis plus Cæsari contribuit quam Nobilitas universa, unde vocantur ab Imperatoribus Sustentacula & Columnæ Imperii, Seminaria Ecclesiæ & Academiarum. In alia servantur Ornamenta & Habitus Imperii, alia Jus habet Coronationis & Electionis Rom. Imp.

(VI.) Multæ ex illarum Ordine gaudent amplis Territoriis, Comitatibus, Dominiis, Castris. Unde non tantum a Cæsaribus datur eis Titulus Honestarum, sed & in Recessibus Imp. alteri Nobiles. Immediatæ autem titulus Nobilitati omnino nullus adjicitur.

(VII.) Quamvis Nobiles An. 1619. Norimbergæ, & Francofurti An. 1631. A. 1634. primum locum affectarent ante Civitates, his tamen Prærogativa antiqua servata.

(VIII.) In Pace Religiosa, postquam primo loco Regula præscripta Electoribus, Principibus, & Statibus Imp. tandem ultimò Constitutio etiam ad Nobilitatem immediatam extenditur.

Fundamenta Nobilitatis apud eundem.

(I.)

STylo Imperii, & Constitutionibus Cæsareis, quoties mentio fit Nobilitatis & Civitatum, illa præponitur.

Obj. (1.) Contrarium in usu esse, probari potest.

(2.) Sæpius in ejusmodi Constitutionibus dignioribus minores nominandi ordine antepositi.

(II.) In toto Mundo Nobiles ignobilioribus anteponuntur.

Obj. (1.) Civitates in Ignobilium Ordinem perperam referuntur.

(2.) In Flandria, Hispania, Anglia, Suecia, Civitates non sunt Respublicæ liberæ, ut in Germania, nec apud nos peculiare Corpus constituitur Nobilitatis, veluti in illis regnis.

(3.) Respublicæ Italicæ etiam Principes antecedunt, quin hi in album Patriciorum illarum referri ambiunt.

(III.) Hac Antelatione degradari Nobilitatem, & pretium adimi Ordini Equestri ac Militari.

Obj. Non ita Nobilitati propria est militaris Gloria, quin & in Civitatibus refulgeat. Unde, cum major ferè pars Civium Germaniæ sub signis esset patriæ defendendæ, pauci comparuere Nobiles, reliqui latere voluere.

(IV.)

(IV.) Admitti ad Ecclesias Cathedrales & alias Dignitates Nobilitatem, non Civicos.

Obj. (1.) Non respiciendum ad singulos, sed Universitates.

(2.) Nec excludi Civium liberos, quin aliquando ad Sedes Episcopales ascendant.

(V.) Solos, qui extra Urbes habitant, Nobiles admitti ad Ludos militares.

Obj. Contrarium patere.

(VI.) Nobilitatem semper junctam fuisse Baronibus & Comitibus.

Obj. (1.) Non ex ea Conjunctione, sed Ratione & Dignitate Status æstimari Prærogativam in Imperio.

(2.) Si illis conjuncti sint Nobiles, manere tamen Nobiles, nec Barones fieri; de cætero etiam Civitates vicinis & extraneis Principibus ac Regibus jungi fœderibus.

(3.) Non Nobiles tantum, sed & Comites ac Barones aliquibus Civitatibus earum fuere Officiales Bellici & Ministri.

(VII.) Nobilis si Baronis titulum nanciscatur, eo ipso Civitatibus anteponitur, quantò verò præstat uni Nobili universus Ordo.

Obj. Præcedit Baro non ut Nobilis sed ut Status Imperii, quo ablato, Respectu cadit Prærogativa.

(VIII.) Aliquando Nobiles habere sub se Jurisdictione suâ Barones, possidere Oppida, Castella, Dominia.

Obj. Nihil in eo inferiores Civitates, quæ Cives & Patricios, quin & Xenodochia habent, quibus subjecta sunt Castella, Dominia, Pagi.

(IX.) Cum Nobilitas mediata anteponatur Civitatibus Provincialibus, Immediatam etiam Immediatis præferri debere.

Obj. Non respiciendam solam Immedietatem, sed Prærogativam

Status Imperii, interim immediata esse Civitas potest, quod non sit Status.

(X.) In Solennitatibus & Congressibus privatis Deputatos Nobilitatis anteferri Urbicis Deputatis.

Obj. (1.) Factum probatione eget.

(2.) Quod Nobilium Ambitione & Civium Ignorantia factum, præjudicare non potest universo Ordini in publico usu, ubi contrarium obtinet.

(XI.) Dari a Cæsare Nobilitati Titulum præ Civitatibus.

Obj. (1.) Ex Prædicatis ejusmodi nihil colligi, nam & Cæsarem Prælatis & Abbatibus, qui principali quoque dignitate fulgeant, hunc titulum tribuere, Civitatibus, sæpè dari Nomen Nobilium & Illustrium.

(2.) Simplicitatis studiosæ in Titulis Civitates, Novitatis ambitiosi Nobiles.

(XII.) Gaudere Nobilitatem variis Juribus ac Jurisdictione.

Obj. Non minora sed majora Civitatum Jura.

(XIII.) Nobilitatem esse Statum Imperii, cum ante 200. Annos in Comitiis Locum & Sessionem habuerit.

Obj. (1.) Factum probatione manifesta indiget.

(2.) Saltem concedunt a 200. annis jam se excludi, quod perinde est, ac non habuisse jus illud.

(3.) Si jungi Principum Collegio velint, collectas etiam solvere necesse erit, & Nobilitas Franconica tantum tribuere, quantum ejus Circuli Civitates.

Ne Controversia hæc Rerum Summæ impedimento esset, inventa est Ratio, quod Instrumento Pacis insertum, ut sub reliquis Statibus Imperii intelligeretur Nobilitas.

PRÆ-

PRÆTENSIO REGIS FRANCIÆ IN COMITATUM RUSCINONENSEM & CIVITATEM PERPINIANUM.

Historia.

Ruscinonensis Comitatus (Rousillon) inter duo Cornua Pyrenæorum situs modo Galliæ, modo Hispaniæ ab aliis accensetur; ob illum etiam frequentes Controversiæ. A multo tempore Hispanus possessionem ejus habuit, ex quo defuncto ultimo Comite Gerhardo A. 1168. Comitatus ad Alphonsum Arragoniæ Regem devolutus fuerat, nec tamen minus Rex Galliæ eundem sibi Animo & Prætensione adserebat Cassan. Rech. des Dr. l. 1. c. 8. p. 417. & seqq. ad d. Ant. des memoir. & Instruct. concern. les droits du R. de Fr. ap. Vitt. Siri T. 2. l. 1. p. 237. &c.

Hujus posterius Fundamenta sunt.

(I.)

Naturalis distinctio Pyrenæorum, quos Galli nisi bello adversus Mauros gerendo, superare non soliti. Illiberim (Coliere) Ptolomæis, Volscis, Tectosagis, Plinius itidem Galliæ Narbonensi tribuit, nec aliter Ludov. Nonius Hispan. c. 91. ex Athenæo & aliis. Unde olim Episcopus Elsnensis Suffraganeus Narbonensium, Hispani

ni verò sedem Perpinianum transtulere, & Tarraconensi Metropoli subjecere.

Obj. Naturales termini Imperium non limitant, nec omnibus seculis eadem finium ratio.

(II) Comitatus Ruscinonensis, ex quo primo Wifredo in Feudum contulit Clotarius II. R. Franciæ, universi Superioritatem Franciæ agnovere, quod & ultimus fecit Gerhardus in Testamento suo, Annos Regni Ludovici Jun. ei apponens. Unde Vasallo sine masculis decedente Coronæ applicari debuit Comitatus feudali Jure, quo paulò antea Aquitania erat ad Coronam reversa. Unde Surit. Ind. Rer. Arrag. ad A. 1258. inter ea, in quæ Jus sibi Ludovicus IX. asseruit, recenset Ruscinonem.

Cassanæus dicit:

(1.) Comitatum hunc in Marchionatu Gothiæ comprehensum, quem Bernhardo dederat Carolus M. Dein de eo investitos Gothofredum, Raymundum, Trincavellum, Bernhard. Athonem, Rogerium, donec ultimus Comes Guil. Trincavellus Comitatus Biterrensem & Caucassonensem ac quicquid habuerat Agathæ, Ruscinone, & alibi An. 1247. Coronæ donaret.

(2.) Accedit quia Comites Tolosæ Jus etiam in hoc Comitatu ex eo, quod Raymundus Trincavellus a Tolosano captus ea Cessione se redemerit, (ex Petr. Neubrig. de Reb. Angl. l 3.) habuerint, unde Alphonso Tolosano cum Jacobo Arragonio Bellum ob Perpinianum occupatum, Jura Tolosano non minus ad Coronam Tractatu Meldensi delapsa A. 1248.

(3.) Si verò, quod Chassanæus Cons. 46. faciat, constituatur hic Comitatus dependens a Ducatu Narbonæ, Narbonam etiam permutatam pro Ducatu Nemorosio atque morte Foxii omnino ad Coronam delapsam.

(4.)

(4.) Excommunicatione Petri Arragonii iterum hunc Comitatum ad Carolum Francum perveniſſe, & ob hoc Perpinianum a Rege occupatum, quod recepere Arragonii, capto Carolo Claudo.

Obj. (1.) Titulos veteres eo abolitos eſſe dici poteſt, cum Teſtamento Gerhardi ad Arragonios delabi paſſi ſunt Franci Comitatum.

(2.) Corbolii Rex Gall. Jure ſuo ceſſit, ut viciſſim Arragonius Jure ſuo in Languedociam cederet (vid. Prætenſ. R. Fr. in Arrag.) Conf. Surit. Ind. Rer. Arrag. ad A. 1258.

(3.) Ipſa Dubitatio Gallorum, an Narbonæ aut Toloſæ Titulo ſibi vindicare poſſint, cauſæ arguit incertitudinem.

(4.) De Titulo Caroli Valeſii vid. Prætenſ. Rex Franciæ in Arrag.

(III.) Comitatum cum Mompelio Jacobus III. Rex Majoricæ a Petro IV. Arragonio Agnato ditionibus ſpoliatus vendidit Philippo Valeſio (juxta Matth. Villan. l. 1. Annal. Favin. Theatr. d'hon.) & titulum tantum ſibi ad dies Vitæ & deſcendentibus a ſe (non aliis) & Jus reluendi ſervans. Contractum autem Agnati Petrus Arragonius per Legatum reſiduo precii accepto confirmavit. A Filio ejus Jacobo IV. fratre ſuo Iſabella Montisferrat accepit Jus, & Ludovico Andino conceſſit, cujus ad Regem delata ſucceſſio.

Obj. (1.) Jacobus Balearicus tantum Mompelerii Jura, Dominatum & Ditionem vendidit ap. Surit. ad An. 1349. & 1350. Cum Rex Arragoniæ confirmaret agnati Contractum, tantum exprimuntur Mompeleria, Omeladeſia, Carlodeſia ditiones, nulla Ruſcinonis mentio. Unde apud Marian. l. 16. c. 12. ex pretio copiis conſcriptis, Jacobus Baleares, Cæretanos & Ruſcinonenſes infeſtare cœpit. Dein A. 1351. ap. Surit. cum, ut ea, quæ Balearicus ceſſerat, a Johanne Rege concederentur filio Lu-

Ludovico Andino, ſancitum, iterum Ruſcinonis nulla mentio.

(2.) Iſabella Jure ſuo ceſſit A. 1358. cum ab Avunculo Petro Reg. Arrag. deſponderetur Marchioni. Surit. ad ill. Ann.

(3.) Vid. etiam Prætenſ. Franciæ Regis in Baleares & Sardin. ut & in Arrag.

(4.) Venditiones aut Donationes alibi Caſſan. non admittit. Zyp. l. 4. p. 26. 27.

(IV.) Johannes Rex Arragon. Comitatum pro 300000. Scutatis & 700. Equitum & peditatus neceſſarii Inſtructu (quo beneficio etiam Rebellio Regni ſedata) oppigneravit. Comitatum Ludovico XI. Bouchet. in Hiſt. Aquitani omninò venditum ait; ita & Favin. quod cum Rex nuda Oppignoratione contentus eſſe noluiſſet, Arragonius planè ceſſerit. Unde in realem poſſeſſionem Rex venit. (Paul. Æmil. l. 10. dicit, attributo ac velut oppignerato. Sed ap. Ferron. l. 1. p. 2. vocatur juſta Venditio. Sed p. 3. Ferdinandus non niſi oppignerationem agnoſcit) Id verò pretium nunquam ſolutum. Sed & Ferdinandus poſt Patris mortem Contractum Oppignerationis confirmavit.

Obj. (1.) a Carolo VIII. quem Religione ad hoc Franc. de Paula permoverit ap. Surit. debitum A. 1493. remiſſum eſt, cum in Italiam iturus eſſet.

Exc. (α) Rex non potuit remittere debitum, quod ad Coronam ſpectabat; Saltem ſucceſſores ea Liberalitate non obligantur.

(β) Fraude corrupti Oliv. Maillardi Frambiani ſeductus eſt. vid. Ferron. l. 1. p. 2. vel Epiſcopi Albienſis corruptione, ut Surit. fatetur, eum ob hoc malè audiviſſe.

(γ) Ferdinandus nec illis pactis ſtetit, quibus jubebatur Filias non ſine conſenſu Reg. Franc. elocare, & Conatus Neapolitanos non turbare.

(2.) Pignus non remiſſo debito redditum eſt.

Exc.

Exc. Etiamſi pignora reddantur, debitor tamen non liber eſt.

(3.) Saltem ipſum Comitatum petere nequeunt Galli, ſi pecuniam poſcere poſſint. Nam & Ludovicus XI. Franc. de Paula perſuaſione Teſtamentis cavit, quod pignus relui poſſit, quod Surit. perhibet, ſed Cominæus non meminit.

(4.) In Pace Ludovici XII. & Ferdinandi ac Iſab. confirmata Granatæ An. 1500. Ludovicus Arragoniis ceſſit Jus ſuum in Comitatus Ruſcinonenſ. & Cerdanum; cum viciſſim cederet Ferdinandus Jus, quod in Mompelium & alia Franciæ ſibi deberi prætendebat. Vid. Memoir & Negoc. pour la Negociat. de la Paix concernant. les Droits du R. de Franc. p. 114. Addit Caſſanus argumentum, quod Eccleſiæ Epiſcopalis Perpiniani Portæ & aliis Ædificiis inſculpta Lilia Francica add. l. 1. §. non autem ff. de Vi & Vi arm. arg. l. decrevimus C. de Aquæduct. l. 12. Addit etiam, quod in Archiv. Biterr. Indiculus Jurium, quæ Rex & Civitas Biterrenſis Perpiniani habebant, ut & quod Regis Præfecti apud Banquet. de Dr. de juſt. c. 3. Ruſcinonenſibus Jus dixerint.

Fundamenta Hiſpanica.

(I.)

TEſtamentum Gerhardi ultimi Comitis, quo is ſub Ludovico Jun. Comitatum Alphonſo Regi Arragoniæ donavit.

Obj. (1.) Arragonii authenticum Teſtamenti Exemplum diligenter occultavere, extractum habet Puteanus. Suſpicionem autem de alia quoque Clauſula inſerta, quæ Subditis, ſub Gallo an Hiſpano eſſe mallent, optionem dederit, aut amplius quid diſpoſuerit, quædam injiciunt, quæ Palag. in Prætenſ. Com. Ruſc. habet.

(2.) Diſpoſitio Vaſalli de Feudo præjudicare nequit Coronæ, imprimis cum diſertè Gerhardus dicat, ſe hoc ex magno Amore

facere, quando meum honorem, qui ad Jus illius non pertinebat, illi dono.

(II.) Perpetua Possessio plurium Seculorum & ex hac Præscriptio.

Obj. (1.) Adversus Leges Præscriptio non proficit.

(2.) Sæpè in manu Francorum fuit Perpinianum.

(3.) Ferdinando Catholico Franci præter Oppignerationem alios titulos, quibus in Comitatum introducti essent, ostendere, A. 1499. ut per Arbitros res decideretur, conventum est.

(4.) Carolus VIII. de Injustitia Ferdinandi conquestus, ipse post reditum Comitatum illum aggressus est, ut & Franciscus I. ac Henricus II. illi arma intulere, atque ita Jus Galli suum integrum servaverunt.

(III.) Abdicatio in pactis Corboliensibus An. 1258. vid. Surit. ad illum Annum Madrit. n. 7. Crespiac. §. 12.

Eventus.

NOn tantum bello adversus Arragonios favore Balearici Regis Perpinianum tenuere Galli A. 1258. Sed & postea oppignoratum Comitatum A. 1246. ipse Johannes Rex tradidit Ludovico XI. Regi. Ab hoc A. 1473. descis̄cunt ab Arragoniis excitati, & Francicum Præsidium in Arcem se recipere cogunt. At sequenti Anno Armis iterum ad Deditionem coacti, inque fidem Francicam recepti sunt, novæ etiam scriptæ conditiones. Cum verò per Ludovicum Ambosium restituisset Carolus VIII. Comitatum, post Bellum Neapolitanum eum iterum adortus Salsulas cepit. Expeditio alia Francisci I. A. 1542. Perpiniano frustra obsesso in irritum cecidit. Eodem postea Henricus IV. Marescallum Ornanum misit cum Exercitu. In ultimo hoc bello A. 1642. captis Perpiniano, Salsulis & Colivra, tota Ditio in potestatem redacta, atque Pace A. 1659. art. 42, 43. unita Coronæ Francicæ, atque ita Controversia terminata est.

PRÆ-

PRÆTENSIO REGIS FRANCIÆ IN BALEARES.

Hiſtoria.

INſulæ Baleares mari vicino, quod circumfunditur, & Iberici pars eſt, nomen dant. Hæ olim Carthaginenſibus paruerant, dein a Romanis ſubactæ ſunt. Quibus ad extremum Saraceni eripuerunt, cumque ex illis Piraticam commodiſſimè facerent, ſæpè quidem a Barcinonenſibus, Piſanis, Genuenſibus, & Normannis infeſtati ſunt, non verò ejici potuere. Tandem Jacobus I. Rex Arragoniæ 1225. expeditione ſuſceptâ Inſula majori potitur, & Regem Abohidem cum filio capit A. 1231. Regnumque Balearicum, accepto Comitatu Urgelitano, cum Petro Luſitano commutat. Sequenti anno, quæ rebellis fuerat, Majoricam recuperat Jacobus, & cum ea minorem alteram. Iterum verò Regnum hoc, cujus ad vitam tantum conceſſi Jura ad Heredes nonerat transmiſſurus, Aragonio Petrus Anno 1236. permittit. Unde Patre mortuo Anno 1276. filius ſecundus Jacobus in Inſulare Regnum ſuccedit. Sed An. 1279. ſupremum ejus Jus Fratri concedere, ſeque & poſteros Arragoniæ Regibus ſubjicere idem cogitur. Sed ob hoc in Bello An. 1285. Gallis ſe jungit. Unde Expeditio Alphonſi Regis eo anno in Inſulam. Verum A. 1295. Pace iterum reſtituitur. Tandem A. 1343. ficta cauſa Petrus IV. Rex Arragoniæ agnatum Jacobum Regem Balearicum Regno privat, & anno ſequenti Armis illud ſubigit, qui, quicquid etiam pro illius Recuperatione tentavit, fruſtra fuit. Conf. Surit. Ind. Rer. Arrag. ad annos notatos. Marian. l. 12. c. 14. 16. l. 15. c. 12. Bernhard. Gomes de Jacobo I. l. 1. 6. & 7.

In hoc Regnum Jus Regi suo vindicat, Cassan. Rech. des Dr. de France. l. 1. c. 6. p. 341.

Fundamenta allegat.

(I.)

JUs Regis in Magalonensem vel Mompeliensem Episcopatum. Ita refert Jacobus I Rex Arragon. cum in Custodia detentus esset, post patris Cædem à Simone Montisfortio Comit. ex qua autoritate Papæ in Regnum eductus est, dicitur Votum fecisse instituendi Ordinem pro Redemptione Captivorum & ultramarinam suscipiendi Expeditionem. Instituit post hæc Ordinem, cui Nomen dedit de N. Dame de la Mercéde. Inde cum regnum Balearicum expugnasset, Episcopatui Magalonæ, qui dein Mompelium translatus est, ejusque Patrono S. Petro illud obtulit, quod ipse & posteri ab eo tenerent feudo. Causa Donationis, Regis in Patriam Amor, Pietas in Locum, in quo ipse & Mater Maria præcipua Exercitia Devotionis peregerunt, nec minus, quia aliqua Pontifici à Petro Com. de Macquiel in Comitatum Jura. Porrò A. 1285. Capitulum & Episcopus Superioritatem Regni, quæ Ecclesiasticis ob regnum, qui debita sæpius præstare negligebant, potentia honorabilior quam utilior fuerat, Regi Galliæ concessere (allegat Cassanus Patrem Jacobi, qui vixit An. 1290. in pract. de Success. Reg. Fr. ubi hæc verba: Item non advertunt benè Consiliarii, qualiter a pauco tempore Rex acquisivit ab Ecclesia Magalonensi Jus Vasalli, quod habebat in Regem Majorcitarum, quod Jus ipsa Ecclesia tenebat. Allegat etiam Car. de Grasalio seu Grasaille Carcasson de Reg. Fr. qui disertè dicit, Regem Hispaniæ subesse Regiæ Franciæ ratione Feudorum, quale sit Regnum Majorcitarum, quod Feudum Ecclesiæ Magalonensis Rex Franciæ ab ea acquisiverit in Regem Hispan. Inde cum A. 1347. Jacobus Balearicus vendidisset Mompelium Philippo Regi 120000. Scut. Rex cum Ecclesia commutavit Rectoratum Mompeliensem pro feudis de Poussant & de Fresseulin. Verum etiam præter hanc Acquisitionem Rex Gall. tanquam Patro-

tronus Ecclesiarum Regni & Dominus temporalium bonorum ad illas pertinentium protendere posset, sibi deberi, quæ Ecclesiarum sunt, inprimis cum ipse Episcopatus Magalonam feudo Galliæ teneat.

Obj. (1.) Votum in Captivitate edere Jacobus non potuit, cum enim quadrimus esset patre A. 1213. moriente, Marian. l. 12. 13. sequenti Anno 1214. in Regnum adductus est a Legato Pontificio. Quid ergò votum Infantis? Ordo verò institui potuit, uti ab eo etiam institutum, sine causæ hujus mentione, memorat Hieron. Blanca in R. Jacobo p. 654. absque voto.

(2.) Regnum Balearicum Jacobus primi Acquisitoris filius apud Surit. Ind. Rer. Arrag. ad An. 1279. immune, & nullius Imperio potestativè addictum, suscepisse perhibet; Ibi verò cogitur submittere Sceptrum Coronæ Arragonicæ (quæ ibi Melgoriensis Episcopi Jura excipiuntur, respiciunt Mompelium) unde Jus Magalonensium nullum, saltem perditum.

(3.) Quæ Balearici à Magalonæ Episcopis & hi Regibus cedere potuere, solum Mompelium respiciunt. Vid. Marian. L. 15. c. 12. Ubi hanc quoque Episcopi prætensionem cum suo Beneficio Urbem teneri nollet, Balearicus non agnoscit, quod non exoletis vetustate Annalium tabulis & Exemplis Imperia constent, sed recentissimæ Consuetudinis Usu. Itaque nec hoc quidem Jus liquidum ea tempestate fuit. conf. ap. Surit. Ind. rer. Arragon. l. 2. ad An. 1280. quod Rex Galliæ promittit Regi Balearium, quod Mompelerii Dominatus jura integra ei reservare, neque permutationis causa cum Magalonensi Episcopo factæ Jus aliquod in eam Ditionem quærere velit (sic & Marian. l. 14. c. 4.) ex quo colligere licet, cujus Permutatio aut Cessio facta inter Regem & Magelonenses, nempe Mompelerii. Quin & quod emit Mompelerium à Jacobo Gallus, ut ipse eo precio reliqua bona ab Arragonio recuperaret, ex quibus potissimum Regnum Balearicum argumento est, in hoc Jus sibi non arrogasse Gallos. Imprimis

quia, ut est ap. Surit. ad An. 1349. Jacobus ille ultimus, si Insulam recuperasset, ea expeditione, qua cecedit, ipsum auxiliariis Genuensibus addixerat.

(4.) In Controversia de Episcopo Majoricæ imponendo inter Regem & Barcinonenses non legitur intervenisse Magalonensis Episcopus, quod futurum erat, si totum regnum ab hoc dependeret. conf. Bernh. Gomes. Histor. Jacob. I. Reg. l. 7. f.

(5.) Si feudum sit Magalonensis Ecclesiæ Balearicum regnum, potuit illud (loquendo ex Hypothesibus Pontificiis) spirituale Feudum esse, ab Episcopis aut Abbatibus dari posse ibidem credit. Conf. eund. de Rege Monastico vel Regno in feudum Monasteriis oblato, disp. 2. q. unic.

(II.) Alius Titulus a Johan. Montisferrat. Vidua Jacobi ultimi Balearici sorore, quæ fratris extincti A. 1375. heres, Regnum Balearicum & Ditiones omnes Regno attributas Ludovico Andegavensi ea Lege ut Arragonios bello aggrederetur, detulit. Conf. Marian. l. 17. c. 18. Surit. Ind. Rer. Arrag. ad A. 1375. qui ob hoc Cataloniam invasit, sed tandem ob Italiæ Negocia omittere coactus est. Jus verò Andinum testamento Caroli Mainii ad Regem Galliæ venit.

Obj. (1.) Quam frater sorori non transmisit Hereditatem, eam aliis relinquere non potuit.

(2.) Ipsa prius, cum nuberet Montisferratensi, Jure suo in Gratiam Regis Arragonii cessit ad. Surit. Ind. Rer. Arrag. A. 1358.

(3.) Andina Successio ad Lotharingos, non ad Regem Galliæ delata est.

(4.) Extincto Jacobo Agnatorum ultimo ad Agnatos Arragonios delabi debuit Regnorum Lege Balearicum Regnum, cum hi æque ac Balearici a Jacobo primo acquirente descendant.

(5.) Alibi Cassanus negat, Donatione Regna transferri posse. vid. Zyp. 14. p. 26.

Obje-

Objectio Generalis Hiſpanorum, ſi illis Fundamenta Galli uti velint, ſumi poteſt.

(1.)

A Præſcriptione.

(2.) Renunciatione Regis Franciſci in pact. Madrit. §. 7. & 22. Creſpiac. §. 12.

Eventus

NUnquam poſſeſſionem Hiſpanorum hactenus turbarunt Franci, ſed ex quo occupavit Petrus IV. regnum, ſucceſſores ſemper retinuere.

PRÆTENSIO DOMUS ESTENSIS ADVERSUS PONTIFICEM.

Hiſtoria.

CUm per plura Secula Domus Eſtenſis ſeu Ateſtina Ferrariam, & alia a Sede Pontificia, quæ vel Imperiali Liberalitate vel dono Mathildis (conf. Conring. de Fin. Imp. German. c. 10. p. 108. Thuan. l. 100. p. 923.) illi obveniſſent, poſſediſſet, Pontifex Clemens VII. ad ſe revolutum Ducatum declaravit, & quamvis Cæſar Eſtenſis patruelis Alphonſi & Jure Agnationis & Heres inſtitutus, quique antea A. 1594. ab Imperatore obtinuerat Inveſtituram Imperialium feudorum (Thuan. l. 109. p. 1414.) ſe pro herede gereret, facilè tamen

men a Pontifice, qui diris devovit Cæſarem, territus eſt, ut Faventiæ in Conditiones deſcenderet, quibus Ferraria ad Sedem Romanam redibat. vid. Thuan. l. 109. Inde in ditione Pontificia manſit Ducatus, Eſtenſibus ſua Debilitate à vindicando patrimonio prohibitis. Renovavit memoriam Prætenſionis Cæſaris nepos Franciſcus Mutinenſis, cum occaſione Belli Urbani VIII. adverſus Ducem Parmenſem pro hujus Defenſione A 1642. inter ipſum, Venetos & M. Ducem Hetruriæ fœdus percuteretur.

Fundamenta Domus Eſtenſis legi poſſunt in Manifeſt. Duc. Mutin. edit. An. 1642. Eorum Epitomen proponit Vittor. Siri T. 3. l. 1. p. 105. ſeqq. Sunt autem Prætenſiones.

(I.)

IN Ducatum Ferrarienſem, quo injuſtè excluſum Avum Cæſarem dicebat. Cæſari ergò Succeſſionem debitam fuiſſe probant his rationibus.

(I.)

JUs ab Avo Alphonſo I. Duce in filium legitimatum Alphonſum Marchionem, & ab hoc in Cæſarem derivatum; Cum circa hoc præcipua lis ſit de Natalibus Alphonſi March. Modenenſis, dicunt, eum legitimatum a Carolo Citro & ſubſecuto dein matrimonio Matris Lauræ Euſtochiæ.

(1.) Teſtimonio Hiſtoricorum, qui Lauram agnovere Uxorem Alphonſi I. Ducis, in quibus allegantur Fr. Leander Alberti, & Jovius Epiſcopus, coævi, Marc. Guazz. Sanſovinus in Hiſtor. famil. Illuſtr. Andr. Thevetus, M. Anton. Guarin. (ſubditus Papæ, & qui poſt occupationem Ferrarræ ſcripſit) Fuder. Scoltus.

(2.)

(2.) Teſtimonio teſtium examinatorum poſt caſum Ferrariæ, unde fama publica probatur. Depoſuere illi de honore, quo Lauram habuit Dux, Subditi, Principes exteri, & Eſtenſes ipſi, Cognomen Domus Eſtenſis ab ea geſtum, Inſignia Comitatus viva attributa, Symbolum in Rheda uſurpatum, cum Inſcriptione: quia fecit mihi magna Deus, Luctus vidualis, & poſtea ab Eſtenſibus ob ejus Mortem etiam facti ſumtus in Exequiis, quibus adſiſtere Dux Alphonſus & Card. Ludovicus, Inſignia & Titulus Ducíſſæ, qui vivæ non datus ob Controverſiam Præcedentiæ cum Renata Francica. Sic & ea uxor Ducis dicitur in Inſtrumentis Ferrariæ ſcriptis A. 1550. 1551.

(3.) Matrimonium contractum ante Concilium Tridentinum, unde tot Solennitates tum non requiſitæ.

(4.) Creditum authenticum eſt Inſtrumentum ſublatum a Duce Hercule, qui averſus animo ab Alphonſo fratre conſanguineo ob communis patris Alphonſi ſingularem in eum Amorem, & legata relicta, ſed ipſe dein eum legitimum eſt faſſus.

(5.) Matrimonium contractum inter Alphonſum & Juliam Roboream argumento eſſe poteſt, ubi Hercules pro fratre utpote minore conſtituens Procuratorem, eum diſertè fratrem Germanum fatetur, & publico firmat Teſtimonio. Sic & Guidobaldus Dux Urbinatum eum pro tali agnovit.

(6.) Ferdinandus II. informatus hac de re, famam publicam a malignis ſparſam vanam declaravit, & Duci Franciſco contulit Inveſtituram non ſimpliciter, ut Succeſſori Alphonſi II. ſed ut comprehenſo in antiquis Inveſtituris.

Obj. Pontificis.

(I.) Hiſtorici inter ſe diſſentiunt, adeoque nihil probare poſſunt. Jovius tantum dicit, legitimæ loco uxoris habuit.

(II.) Teſtimonia depoſita non ſunt examinata, nec intervenit Camera Pontificia, cujus intererat. Cumque certum ſit, fuiſſe initio Con-

cubinam, iidem testes destinationem conditionis notare debebant, ex quo facta Uxor.

(III.) Nullibi ea vocatur Ducissa. In arbore Domus Estensis distinguitur ab Uxoribus.

(IV.) Instrumenta privata post mortem Alphonsi I. non probare valent.

(V.) Ferdinandi I. Investitura non dicit, quod Estensem voluit legitimum fuisse Alphonsum, nec præjudicare potest Sedi Romanæ, nec facta, causa cognita.

(VI.) Si de Natalibus legitimis constaret, non tantum opere & Conditionibus ablatis annisus fuisset Alphonsus II. heredem Universalem Cæsarem destinans, & Romam ob hoc profectus a Pontifice impetrare comprehensionem in Investitura Ferrariensi, idque ex Gratia. Unde illæ Disputationes JCtorum, an Pontifex petito annuere possit citra Pii V. violationem, qua via gratiæ non fuisset opus, si via juris penetrare Alphonsus & Cæsar, quem hoc latebat, confisus esset.

(VII.) Cum constet de nativitate Alphonsi extra Matrimonium, Legitimatio per Matrimonium prætensa clariora requirit fundamenta.

(VIII.) A Cardinali Citro petita Legitimatio arguit aliam Legitimationem per subsequens Matrimonium non præsto fuisse: nec ea a Papa non facta habilitat ad Successionem in Bona Ecclesiæ.

(II.) Alias ipsi etiam naturales vocati ad Successionem a Pontifice Clemente VI. Bonifacio VIII. Johanne XXIII. nullam Exceptionem Legitimatis facientibus, Martino V. Leonellum, Eugenio IV. & Nicolao V. Brorsum, Naturales præferentibus Legitimorum Juri. Sic & nova Investitura Alexandri VI. collata Herculi vocat omnes descendentes, ac ita Verborum Generalitate, & quia alias in hoc Statu solitum etiam naturales. Et quidem hæc Investitura non facta titulo Feudi, sed Donationis liberæ aut Feudi improprii, quibus Casibus legitimati æque succedere valent; merebatque Domus Estensis ob multa Ser-

vi

vitia Pontificibus exhibita & Meliorationes in Ditionibus, ut Concessio etiam modo extraordinario fieret. Carolus V. Compromissarius dissidiorum inter Alphonsum I. & Clementem VII. pronunciavit, teneri hunc ex Investitura Alexandri VI. ut illum de novo investiat proprio & descendentium (sub quibus Heredes extranei, multò magis alii comprehenduntur) nomine, Conf. Bzov. Annal. Baron. cont. T. 19. ad A. 1530. n. 37. ubi Arbitrium Cæsaris ita suscepisse dicitur, ut Sententiam pronunciaret, si Pontificis justam causam reperiret, sin pateretur justum tempus præscriptum ad judicandum: & ad An. 1531. n. 6. ubi Sententia pro Ferrar. In Investitura Pauli III. dicitur: & pro se & legitimis naturalibus per Lineam Masculinam ab Alphonso I. descendentibus servata Primogenitura.

Obj. (1.) Alias Naturalibus concessum Principatum ad Dies Vitæ aliis temporibus non potest præjudicare, cum ultimæ Investituræ invasorum legitimorum tantum factæ, nec eæ explicandæ e veteribus, imprimis quia finitis illis, qui comprehensi, Papa non aliis concessit, sed sibi servavit juxta Constitutionem Pii V. & antiq. Concil. 3. Rom. sub Symmach.

(2.) Arbitrium Caroli V. acceptatum, sed & ejus recordatio renovat memoriam Juris, quod habet Sedes Romana in Mutinam, Rhegium & alia Estensium.

(3.) Falsum, ab Alexandro VI. Donationis titulo datum Principatum Herculi, & ejus etiam naturalibus: nam restrictiva expresse legitimos notat, nec ea Bulla ultra Sixti IV. Concessionem amplius quid dat, præter titulum Ducatus & Canonis imminutionem, reliquis in priori Statu relictis. Aliæ adjectæ conditiones notant Feudum ad naturales non transmissibile, potius quam Donationem.

(II.)

IN Comaclum, Cotignolam, Argentam, Lugum, S. Potitifanum, Centum & Plevim (della Pieve.)

Argumenta.

(I.) Qua Comaclum.

(1.) In nulla Concessione Pontificis (quarum ad 15. reperiuntur) fit loci hujus mentio, etiam in illis, in quibus particularissimè loca minoris momenti enumerantur. At Pontificiis contrarium probare incumberet.

(2.) In aliqua Concessione qua Ferrariam Clemens VI. Obizzoni & Nicolao Estensibus conferebant, Comaclenses spondent pro Ferrariensibus, quod signum ab illis non dependisset.

(3.) Comaclum Lotharius & Ludovicus A. 848. donarunt Ottoni Estensi, An. 1256. Rudolphus Obizoni VI. & confirmavit An. 1282. ipsa Civitas se subjecit A. 1325. Kinaldo, Nicolao & Obizoni A. 1354. Carolus IV. investivit de eo Marchiones, ut & A. 1433. Sigismundus Nicolaum, A. 1452. Fridericus Borsum. Itaque feudum est Imperiale, quod ostendit Investiturarum perpetua Continuatio & præstita Juramenta.

(4.) Accedit possessio tot Annorum ac ita Præscriptio, quæ justum titulum præbet. Nec pugnat Bulla in Cœna Domini, præscriptiones à rebus Ecclesiæ arcens, quæ, antequam illa concinnaretur, invaluerunt.

(5.) Nec aliqua Pontificis Interdicta convincentia satis Comacli Dominium in Civitatem probant, nam & Adrianus VI. ausus ab eo prohibere Alphonsum I. per omnes Ditiones, quarum tamen major pars Imperialis.

(6.) Nec in Conventu Faventino mentio ejus fit, nec intelligi potest sub intentione Duc. Ferrar.

(7.) Ducali Ferrariæ titulo Estenses separatim adjecere titulum Dominorum Comacli.

Obj. (1.) Comaclum pars est Patrimonii Petrini, & a Pipino, Caro-

rolo M. Ottonibus, & aliis, tanquam pars Ravennensis Exarchatus, concessa Pontifici.

(2.) Situs, cum undique Pontificia ditione cingitur, hoc docet, saltem onus probandi rejicit in adversarium.

(3.) In concessione Pauli III. mentio fit Civitatum, cum præter Comaclum Ferraria alia jungi possit, ut & in declaratione Consistoriali Clem. VIII.

(4.) Non tantum Salis Confectionem prohibuere Pontifices, sed Dux ipse Romam profectus a Julio III. permissionem 30000. saccorum obtinuit.

(5.) Spondere potuit Comaclum, non pro Ferrariensibus, sed Estensibus, nec, quod id distinctum ab Urbe Ferraria, distinctum est a Ducatu.

(6.) Investituræ Cæsareæ præjudicare Ecclesiæ & patrimonio ejus nequeunt, nec priores illæ habuere Effectum, cum fateantur An. 1325. ipsam Civitatem se subdidisse. Hæc verò subjectio fuit violenta, & à Johanne XXII. reprehensa.

(7.) Speciatim concessio Ludovici sine probato Patris nulla est, sed & ille Ludovicus Sedi Pontificiæ adversus fuit.

(8.) Nec Rudolphi prodest Investitura, qui fatetur ad Ecclesiam spectare; nec Caroli IV. qui hic etiam Argentam concessit Estensibus, quam illi paulò ante acceperant feudo ab Ecclesia Romana.

(9.) Unde tales Concessiones ab Impp. factæ interpretandæ sunt non præjudicio Ecclesiæ, sed quod Estenses titulis Secularibus & Ecclesiasticis abundare majoris securitatis gratia desiderarent.

(II.) Qua Cotignolam.

Quæ cum nunquam dependisset ab Ecclesia, empta per Nicolaum Estensem A. 1381. 60000. Scut. a Joh. Kaukaclo Anglo. Eandem dedere Polentani A. 1394. & 1396. arcem; Fridericus Cæsariensis, de ea investivit Herculem I. Ludovicus R. Franc. ut Dux Mediolan.

ut & postea Alphonsus I. Investituram accepit. Inde arbitrio Caroli V. absolutus Dux Alphonsus a Prætens. Pontific. in Cotignolam & in alia.

(III.) Quà Argentam.

Primum eam Estenses obtinuere a Carolo IV. dein ab Archiepiscopo Ravennate, cui alia compensationis nomine data. Itaque aut ipse locus, aut compensatio restituatur.

(IV) Qua Lugum & Potitifanum. Nam ex Investitura Leonelli & Herculis I. cujus omnes Heredes vocantur, Jus ad Alphonsum delapsum.

Obj. (1.) In Transactione Faventinâ Cæsar disertè promittit, cedere velle Locis in Romania sitis, in quibus sunt Cotignola, Argenta, Lugo (a Johanne XXIII. Comitatus titulo decoratum) & S. Portiso, nec ei Dux reclamavit.

(2.) Ad Caroli V. Arbitrium responsum.

(V.) Qua Centum & Plevim.

Jus ad Alphonsum derivatur ab Investitura Herculis I. & omnibus ejus heredibus, etiam Naturalibus concessa. Imprimis quia ob Investituram Compensatio aliqua data. Nec pugnant Bullæ Pii IV. & Pii V. quæ Spurios, non æquè Naturales, multo minus Legitimatos excludunt; nec loquuntur de feudis quæ habentur titulo oneroso.

Obj. (1.) Concessio Ecclesiæ Bononiensis respiciebat legitimos tantum Liberos.

(2.) Non ad Ecclesiam propriè sed ad Cameram Bononiensem loca spectabant.

(3) Cæsar recuperavit Loca compensationis causa Bononiensibus concessa.

(4.) Non evitantur Bullæ illa distinctione feudorum.

(III.)

(III.)

IN Allodialia & Meliorationes ab Estensibus factas. In illis sunt Valles Comacli, quæ, ut probari potest, majori ex parte in privatorum fuere manibus, nec conditionis feudalis nihilominus non restitutæ, cum tamen sint reditus maximi, ut ita Estenses perdiderint tot annorum fructibus frustrati ultra 2. Milliones Scut. In Faventino Tractatu eadem reservata Ducibus. Sic & Meliorationes magni sumtus sunt, ob fabricas in Civitate, aggeres, exsiccationes paludum, quæ licet factæ sint operis & contributione Subditorum, hi tamen fructus Jurisdictionis sunt, & ita Restitutio debetur. Jus Patronatus in Abbatias Pomposonam & Bondenensem etiam reservatum in Transactione Faventina, ut remaneat penes Cæsarem heredesque ejus. Excusationi nihil adferri potuit, quam in lusu circa vocem remaneat; sed Pontificem sincerè & bona fide loqui, & verba propriè interpretari decuit.

Obj. (1.) Valles Comaclenses & ratione dominii & stipulatione Cameræ Ducalis ad Cameram Pontificiam spectant. Quod verò alia particularia & allodialia bona attinet, pendet sub judice Lis.

(2.) Meliorationes disertè Gregorius XI. cum Nicolaum & Albertum investiret, reservavit Sedi Romanæ, & ne postea mutatum videretur, Sixtus IV. & Alexander VI. ob hoc concessere Gabellas, & reduxere ad minorem Summam census Canonem. Imprimis quia Investitura Pauli III. nova fuit, cum Alphonsi bona ad Fiscum prius recidissent.

(3.) Quod attinet ad Jus Patronatus prætensum Ducis, Rationes examinatæ in Judicio Rotæ.

Fun-

Fundamenta Pontificiorum, quorum Reſp. ad Manifeſt. Eſtenſ. edit. contraxit idem Siri l. c. p. 122. & ſeqq.

(I.)

FErraria & Dependentiæ ſpectant ad Patrimonium Petri, & vocantur Hortus Eccleſiæ. (Gloſſ. in Auth. ut Eccleſ. Rom. 100. Ann. gaud. præſc.) Pipinus & poſtea Carolus M. Ludovicus I. A. 812. Otto I. A. 962. Otto II. Otto III. Henricus II. A. 1012. Otto IV. Fridericus II. A. 1213. Guilielmus. A. 1249. Rudolphus. A. 1272. A. 1279. Albertus An. 1302. Ditiones has, in quibus plerumque diſerta Comacli mentio, Pontifici conceſſere. Ipſa Urbs Ferraria confeſſa A. 1310. Urbem initio quoque fundatam fuiſſe a Pontifice in ſolo Eccleſiæ. Cum A. 1325. Eſtenſes Dominium uſurpaſſent, à Johanne XXII. excommunicati ſunt, ſed demum illis conceſſus A. 1332. in X. Annos Vicariatus, ſervato Eccleſiæ omni Jure & Imperio, & cum cenſu 1000. fl. Cum reſtituiſſent A. 1344. Claves Epiſcopo Bononienſi tanquam Pontificio Legato, qui multos actus Jurisdictionis & Poſſeſſionis exercuit, iterum Clemens VI. illis conceſſit in novennium iisdem Conditionibus, denuò A. 1350., idem in decennium A. 1361. Innocentius VI. in biennium A. 1366. in ſexennium Urbanus VI. A. 1372. Ad vitam Nicolai & Alberti conceſſio a Gregorio XI. protenſa A. 1390. ſolus ſuperſtes Albertus à Bonifacio IX. obtinuit hanc gratiam pro filiis legitimis & naturalibus. Ita A. 1394. Nicolaus naturalis Alberti filius ſucceſſit, ex illa diſpenſatione Pontificis admiſſus, quoad viveret. Hujus naturalem Leonellum Martinus V. Papa habilem Vicariatus fecit, reducto etiam cenſu ad 5000. fl. confirmavit idem Eugenius IV. inde Nicolaus V. cum etiam Leonellus filium legitimum & fratres legitimos haberet, ejus tamen fratrem naturalem Borſum derogans Juri in Vicatiatu ſubſtituit Anno 1472. Sixtus IV. Vicarium fecit Herculem legitimum filium, ejusque poſteros legitimos & naturales in tertiam usque generationem, addito Ducali titulo. Ale-

Alexander VI. A. 1501. cum concesso titulo Ducis reduxit censum ad 500. fl. quoad posteros Lucretiæ Borgiæ, & 1000. quà reliquos, atque introduxit Primogenituram. Alphonsum Julius II. privavit, restituit ac iterum privavit Leo X. privationem confirmavit Clemens VII. Paulus III. iterum investivit Herculem II. Canone ad 7000. Duc. aucto.

Ex his apparet.

(1.)

Pontificiæ Ditionis & Beneficii esse Ducatum.

(2.) Quia potius Vicariatus fuit, quam feudum alterius naturæ, tantò facilius revocatio omni tempore fieri potest, ut Nicolaus V. revocavit Vicariatum prius Nicolao Legitimo datum, & concessit Borsio illegitimo.

(3.) Sixtus IV. in tertiam Generationem tantum extendit, quæ exspirat in Alphonso II. Unde in Pauli III. Investitura nulla fit Alphonsi II. filiorum mentio, quod alias fieri soleret.

Obj. (α) Respiciunt hæc Ferrariam non Comaclum & alia.

(β) Vicariatus deinde cum Ducali Dignitate commutatus est.

(γ) Quæ in Alexandri VI. & Pauli III. Investituris non extat Restrictio, ad tertiam Generationem ex Sixti IV. Investitura frustra repetitur; saltem Cæsari intra tertiam Generationem comprehenso, Injuriâ factâ illâ Exclusione.

(δ) Merita Estensium in Sedem Pontificiam Gratiæ continuationem potius quam privationem postulabant.

(II.) Transactio Faventina A. 1597. qua Cæsar omnem suam Prætensionem abdicavit.

Obj. (1.) Transactio invalida est, & vi ad eam Cæsar compulsus, cum arma Pontificis & Spiritualia & Temporalia timere necesse haberet. Unde antequam Tractatus ad finem perduceretur.

tur, medio, quod solùm restat vim passis, usus est Protestatione.

Damit sich aber Margaretha desto besser bey der übrigen von Ihrem Bruder ererbten Verlassenschafft handhaben, und sonderlich wider die von Leiningen, so sich als vereinte nächste Agnaten, wider sie aufgelehnet, und der Succession angemasset, bestehen mögte, hat sie sich gutwillig Chur-Pfaltz in Schutz begeben, und dero deswegen etliche gewisse Stücke (oder das halb) von Ihres Bruders Hessonis Verlassenschafft eingeräumt, den Rest aber für sich, und ihre Successores und Leibs-Erben behalten.

Hierauf hat Chur-Pfaltz Margarethen nicht nur allein Schutz und Schadloßhaltung Ihrer verbliebenen Güter versprochen An. 1467. sondern auch hernach im Werck geleistet.

Dann als die von Leiningen Sie, so sich jederzeit zu recht erbotten, anzufechten nicht ablassen wolten, sonderlich aber Graf Emich dero hart zugesetzt,

zugesetzt, der auch es so weit gebracht haben soll, daß Er vom Kayser Friderico III. eine Citationem wider sie ausgewürcket (die gleichwolen niemalen insinuirt worden) hat sich Chur-Pfaltz, vermög versprochenen Schutzes, interponirt, und, weil Margaretha weder Graf Emichen, noch dem übrigen gantzen Stamm deren von Leiningen einiger oder keiner so nahen Blutverwandtschafft und zur Succession genugsamen Agnation geständig seyn wollen, Graf Emich es auch nicht beyzubringen vermögt, dieselbe wider allen angemassten Gewalt, Attentata und Forderungen geschützet und mehrbesagten Graf Emichen zuruck gehalten.

Derselbe hat sich auch also nicht allerdings zur Ruhe begeben, sondern noch immerzu eines und anders sich unterstanden, gestalt Er dann eine Unterhandlung und Transaction, zu Speyer durch Land-Grafen aus Hessen angestellt, pflegen wollen, und, da solche ohne Effect abgangen, das obangeregte Mandatum C. C. am Kayserlichen Hof expracticirt, und aber aus diß Orts ohnbewuster Ursache (vielleicht auch weil Er damit zu bestehen Ihme nicht getrauet, oder sein Agnations-Recht zu deduciren nicht gewust) nicht wie sichs im Rechten und rechtlichen Process zu thun eignet und gebühret, insinuirt.

Darbey ist es biß auf Reinhardum den Jüngern, Margarethæ mit Reinhard von Westerburg, dem Aeltern, erzeugten Sohns Cunonis Sohn, also Margarethæ ex filio nepotem verblieben.

Deme seyn nicht allein die Groß-Vätterliche Westerburgische, auch Groß-Mütterliche vom Hessone avunculo magno rührende Land-Gräfl. Leiningische Güter (so viel nemlich deren die Groß-Mutter Margaretha Chur-Pfaltz uncedirt für sich und die Ihrige behalten) erblich zugefallen, sondern er hat auch noch mehr andere ansehnliche Güter und Lehen selbst erworben uud zuwegen gebracht.

Wie dann Ihme unter andern von Chur-Pfaltz, nemlich Philippo, damahligen Chur-Fürsten 5. folgende Flecken und Dörffer, Grünstatt, Saussenheim, Obrigheim, Asselheim und Kirchheim, so zuvor Hesso von der Probstey Weissenburg zu Lehen getragen, deroselben aber durch dessen

Tod

Tod apert worden, mit Consens des Probsts Wilhelmi und Ratification Maximiliani I. Imperatoris, käufflich zukommen, und auf Ihme als ein feudum emptitium gebracht worden An. 1505.

Nicht weniger seyn Ihme von obenerstgemeldten Pfaltz-Grafen damalen noch 2. andere Dörffer, Aißheim und Bissersheim für gantz eigen verkaufft und eingehändigt worden, Cautione de evictione à venditore Emptori ritè præstita.

Welche erst benannte 2. Dörffer samt hernach gesetzten, als das halbe Hoch-Speyer, Härtungshausen, Watenheim, Tiefenthal, Ebertsheim, Lautersheim, Mörtesheim, die Höff Seckenhausen und Nack, Wachenheim an der Pfriemen (ausser der halben Burg daselbst so ein Trierisches Lehen) und Monßheim, als ein eigenthumlich Gut von Ihme und seinen Successoribus denen zu Leiningen Westerburg, jederzeit besessen, und noch diese Stund besessen werden.

So ist Ihme Reinharden auch das halb an Alt-Leiningen (welches samt dem Thal und der Burgmauren An. 1335. vom Friderich, Grafen zu Leiningen, und seiner Gemahlin Jutta, so viel deren Antheil gewesen, zwar dem Bischoffen von Trier Balduino um 1000. Pf. Heller verkaufft, hernach aber von Ihme wiederum Lehens-weise angenommen, Hesso es auch gleicherweise vom Bischoff Jacobo An. 1441. Item vom Bischoff Johanne An. 1457. empfangen, ut patet ex tribus diversis Vidimus) vom Churfürsten zu Trier Johanne An. 1483. conferirt und confirmirt worden.

Ingleichen hat Er auch das Schloß und Stadt Neu-Leiningen, davon zuvor seine Groß-Mutter Margaretha, wie gesagt, abstehen müssen, an sich gebracht. Dann als Graf Emich von Leiningen, ohngeachtet Er sich bereits der angemaßten Ansprüch begeben gehabt, sich kurtzum mit Gewalt in solch Wormsisch Lehen einzutringen unterstanden, mit oben obberührten prætext und Agnations-Vorwendungen, und aber Chur-Pfaltz auf Begehren des Orts Lehen Herrn, Bischoffs zu Worms mit gesamter Hand Ihme abgetrieben, und auf Thädigung der Bürger daselbst, und Jörgen von Boch, so allda der Zeit commandirt, gemeldtes Schloß und Städtlein

lein eingenommen, ist zur Vergeltung von oben gedachtem Bischoff Chur-Pfaltz damit belehnet worden, so es hernach nicht behalten, sondern mit Bewilligung des Bischoffs, Graf Reinharden, theils wegen geleisteter guter Reuter- und Ritter-Dienste, theils auch gegen Darleyhung 8000. fl. deren Chur-Pfaltz zur Abzahlung der Reuterey bedörfft, zum Affterlehen aufgetragen, subinfeudirt, auch Wehrschafft darüber versprochen, und solches alles mit Consens damahliger regierender Kayserl. Majestät, A. 1505.

Zuvor aber, und ehe er nächstgemeldter Stücke theilhafftig gewesen, doch mehrentheils des Landgrafen Hessonis auf seine Groß-Mutter Margarethen ererbte Güter inngehabt, und sich mit andern ansehnlichen accessionibus begütert befunden, und gewust, daß nicht nur seiner Großmütterlichen Linie Löbl. Ascendenten erstlich nur Landgräflich, hernach auch Fürstlich-Landgräfliche Titul gehabt, sondern auch dessen Avunculus Magnus Hesso jenen erneuern lassen, diesen aber von neuem acquirirt; hat Er nit vermeint zuzugeben, daß solche einmal erlangte, continuirte und renovirte Kayserliche Gnade, Würde, Titul und Nahme todt seyn und bleiben, und in einen gäntzlichen Vergeß kommen solte:

Derowegen Er solchen auf sich und seine Descendenten derivirt und gebrachten Titul bey Kayserl. Majestät ausgebetten, und um so viel desto leichter erhalten, dieweil Er sich um Dieselbe in dem Krieg wider Carolum, den letzten Hertzogen von Burgund, trefflich wohl verdient gehabt, und (zu geschweigen, daß Er ohne das, so viel die Groß-Mutter belanget, von Land-Gräflich-Leiningischen Geblüt gewesen) einen guten Theil von der Land-Grafschafft Hessonis ex parte ererbt, ex parte erkaufft hat; etc. etc. etc.

Kayserliches Cammer-Gericht zu Wimpfen an dem Neckar.

Daß das Kayserliche, und Reichs-Cammer-Gericht An. 1495. von dem Kayser Maximiliano I. errichtet worden, daß es anfangs zu Franckfurt gewesen, und von einem Ort zu dem andern migriren müssen, biß es endlich nach Speyer, und von da An. 1690. nach Wetzlar versetzet worden, ist eine fast jedermänniglich bekannte Sache, daß es aber auch eine Zeitlang, und zwar bey 2. Jahr zu Wimpfen gewesen, davon ist vielen nichts bekannt. Dieses nun zu verificiren, so hat man die Nahmen derjenigen Herren, so ehemahls, und zwar An. 1540. das Cammer-Gericht zu Wimpfen constituiret, nach der Ordnung communiciren wollen, wie dieselbe auf den Rathauß zu gedachtem Wimpfen zu dato noch mit ihren Wappen angemahlet zu lesen und zu sehen sind, wie hiernächst folgen wird. Desgleichen siehet man auch noch die Vestigia, wo die cancelli, gestanden, innerhalb welcher die Herren Assessores gesessen sind, wann Sie Gericht gehalten, also daß an dessen Wahrheit keineswegs zu zweiffeln ist, ob schon solches insgemein mit Stillschweigen übergangen wird, wann die Autores die historiam des Kayserlichen Cammer-Gerichts erzehlen, wie dann davon weder Blumius in seinem Processu de Jure Camerali tit. IV. de origine judicii Cameralis, noch der Autor des Unterrichts von denen Processen der Kayserlichen Reichs-Gerichten einige Meldung thut, hingegen gedencket davon etwas der Autor fatorum Augustissimi Cameræ Imperialis Judicii p. 44. ibi: Si annos 1539. 1540. quibus Wimpina, & annos 1555. cum 1556. quibus Eslinga Augustissimo momentaneam dedere sedem Judicio excipias &c. welche fata am Ende des Herrn Hofmanns seiner selectissimarum Juris Responsionum mit angedrucket zu finden sind.

COMMEN-

Ad pag. 482.

Die Wohlgebohrn / Ehrenwürdig / Edel / Hochgelehrten und Vesten / des Hochlöbl. Kayserl. Cammer-Richter-Amts-Verweser und Beysitzer, besetzten Consistorii zu Wimpfen, im Jahr, als man zahlt, nach der Geburt Christi, 1540.

Heinrich von Valckenberg der Rechten Doctor.	Vacat.	Conradus Braun, der Rechten Doctor.	Wilhelmus Wernherr, Graf und Herr zu Zimbern, Herr zu Wildenstein.	Johann Sebastian von Hirnheim der Rechten Doctor.	Vacat.	Mathias von Jlaw der Rechten Doctor.
	Cöln	Meyntz Beysitzer		Pfaltz Beysitzer	Im Wappen steht Sachsen.	Brandenburg Beysitzer.
Philippus Burckhard der Rechten Doctor.	Mathäus Neser, der Rechten Doctor.	Heinrich Voit, der Rechten Doctor.	Caspar Golineser der Rechten Doctor.	Jacob Jonas der Rechten Doctor.	Heinrich Herold der Rechten Doctor.	Nicolaus Eberhard der Rechten Doctor.
K.	M.	K M.	E L.	Der Frän	ckische Creyß.	Bayerischer.
Nicolaus Ziner der Rechten Doctor.	Justinianus Moser der Rechten Doctor.	Balthasar Stumpf der Rechten Doctor.	Conrad Visch, der Rechten Doctor.	Georg von Ripurg der Rechten Doctor.	Hubertus Schmetz der Rechten Doctor.	Johannes Burneus, der Rechten Doctor.
Creyß	Schwä	bischer Creyß.	Ober-Rhei	nischer Creyß.	Trier Nieder-Rhei	Beysitzer. nischer Creyß.
Andreas von Corniz der Rechten Doctor.	Christoph von Straß der Rechten Doctor.					
Sächsischer	Creyß					

ZU BAMBERG

COMMENDATIO
CHOROGRAPHIÆ;
der Land- und Markungs-Beschreibung.

LECTORI. S. P. D.

Etsi in Musarum castris stipendia mereri, quàm chorographicis pulveribus tabernaculum vitæ collocare, ac ætatis residuum terere malim: Illustris tamen ac Generosi Domini, Domini WOLFGANGI, Comitis de Hohenloë &c. & Domini Longimontani &c. Domini mei clementis, piæ memoriæ, olim de universæ Germaniæ Republica, meque optimè meriti, gratiosa voluntas me impulit, ut incœptam Comitatus Hohenloici chorographicam delineationem ac dimensionem, finiumque inprimis venatoriorum limitationem absolvere planè conarer; ne aut declinasse mihi demandatum laborem, aut Generositati ejus & clementiæ gratificari noluisse viderer.

Id quoque feci & libentius & studiosius, quod non sine caussa excellentem Generositatem illius istos quantuloscunque conatus meos non solum Illustribus ac Generosis Dominis, filiis Ejus, Ducibus militaribus præstantissimis; verùm etiam inclytis san-

guine junctis Dominis meis clementibus innoteſcere voluiſſe & ſuaſiſſe intelligebam.

Ad quod acceſſit indoles, & felicitas rei perficiundæ: Nam invitâ (quoad ajunt) Minervâ nihil dicendum aut faciendum. Non modò Geometricis (quod ſine arrogantia dictum velim) fundamentis eram ſuffultus, ſed pictorio etiam artificio, naturæ quodam ac ingenii impulſu inſtructus atque edoctus; & ideò nullo ferè negotio præſtare me atque perficere cœptum poſſe animadverti.

Cui ſanè ſtudio anſam haud exiguam præbuit, quòd á Muſis hoc ſcientiæ genus non planè abhorrere, ſed à liberalibus artibus ſuccum & ſanguinem trahere videbam. Ex Geometria quippe, (quæ ingenuarum artium non minima exiſtit, cujus neque DEUM ipſum pudet, qui à Platone μαλιςα πάντων γεωμετρεῖν dicitur) orginem ſuam ac incrementum ſortitur.

Stimulos prætereà addidit minime contemnendos, inſignis utilitas hujus notitiæ in commune hominum ſocietate.

Quamvis, jure naturali, ita meritò comparatum eſſe deceret, ut ſecundum Imperatorem Juſtinianum quilibet ſuo contentus eſſe, & non expetere rem alieni juris deberet: tamen experientia teſtatur, homines admodum à natura pronos & faciles eſſe ad rixas & contentiones movendas; ad ampliandos terminos territoriorum, & fines agrorum non coarctandos, ſed extendendos latius, quàm vicinitatis nomen & termini poſtulant. Neque novum hoc & inauditum, ſed antiquiſſimum, & finium gratia ſimultates etiam inter amiciſſimos extitiſſe. Si quis veterum evolvere ſcripta vellet, ſive Hebræorum, ſive Gentilium, exempla inveniet quàm plurima, de quibus unicum illud Abrahami &

Lothi perpendamus: quos licet pietate & fide præstantissimos, propter greges ovium, & jumentorum, ac tabernaculorum multitudinem, terra, in qua erant tum, capere non posset, ut concorditer habitarent simul, pastorum lites ac controversiæ quotidianæ pactum inire coëgerunt, ut loco dividerentur, atque Abrahamus habitaret in terra Chanaan: Lothus verò moraretur in oppidis circa Jordanem sitis.

Apud Ethnicos, concertationes, finium regundorum caussa, infinitæ semper exortæ sunt. Unde Demosthenes Græcorum oratorum facilè princeps inquit: Antiquos solitos esse πολεμεῖν περὶ μέρους τῆς γῆς ἢ τῶν ὅρων, belligerare de parte regionis, aut de finibus; & τιθέναι τοὺς ὅρους, ponere terminos. Romani etiam accuratam terminorum curam gesserunt. Unde Cicero finibus regundis ubique adjectum fuisse arbitrum ait. Apud Terentium quidam inquit, Simus & Crito vicini nostri hîc ambigunt de finibus, me cepêre arbitrum.

Termini verò territoriorum aut agrorum non sunt modò lapides arbitrorum judicio, consilio & opera fundo alicui impositi, verùm etiam, in amplis præsertim longèque dissidentibus finibus ac regionibus integris, flumina, montes, viæ publicæ, fossæ; sæpe etiam arbores, columnæ, statuæ; quæ partim naturæ beneficio ita corroborata & obfirmata sunt, ut loco moveri minimè queant; partim verò Regum, Principum, ac Magistratuum cura atque diligentia adeò sunt munita τεκμήρια, ut jure ac legibus facta sint immobilia: ac dum meum ac tuum esse cœpit, à jure gentium roboris initium sumpserunt: nec quisquam lapidem vel transversum unguem sine maxima pœna movere, nedum amovere loco ausit,

Atque idcirco pro conſervandis ac cuſtodiendis finibus hæc quatuor remedia à Jure introducta eſſe quis neget? Primum quidem in motorem Limitum, Actio finium regundorum competit, de qua Inſtitut. lib. 3. ∫. quædam actio. tit. 6.

Deinde condictio ex lege, ſi conſtiterit, C. fin. regund. in caſu nimirum illius legis, quando poſt litem conteſtatam in actione finium regundorum aliquis occupat rem propriâ autoritate ante ſententiam latam. Nam is tenetur reſtituere id, quod occupavit, & tantundem etiam ſpatii de fundo ſuo addere.

Prætereà ſtatuta eſt pœna pecuniaria legis Agrariæ per C. Julium Cæſarem latæ contra mutantem, aut dolo malo moventem terminos ſtatutos extra ſuum agrum: ut pro ſingulis terminis ejectis aut loco motis ſua manu aut induſtria, quinquaginta aureos dare compellatur. Quin imò quod majus eſt, competit etiam criminalis actio & pœnalis in perſonas illorum, qui terminos poſitos effoderunt, aut evulſerunt; ita quod extraordinariè ex officio judicis, ſecundum qualitatem perſonæ & facti, vel ad certum tempus relegentur, vel etiam caſtigentur & verberibus cædantur.

Neque id ſatis, ſed Jure Saxonico violentus & temerarius amotor capite plectitur, quaſi violator pacis communis. Atque iſtud meritò, cùm etiam in ſacris literis hoc fieri prohibitum ſit, ut patet ex Deüteron. c. 27. Maledictus omnis qui transfert terminos proximi ſui, quod etiam falſo pingenti aut ſcribenti dictum ſunto. Et Numa pœnam capitalem etiam in legibus ſuis conſtituit in eum, qui lapides finibus moviſſet; impune enim occidi poterat. Et hæc eſt ratio; quamobrem Legislator eos ſacros ac

invio-

inviolabiles esse statuerit; & Juvenalis ultima Satyra ait, quendam sacrum effodisse de limine saxum. Nam apud antiquos Terminus DEus fuit habitus, in cujus tutela, fines agrorum esse existimabantur: atque idcircò sub dio et aperto collocabatur; quod grande illi nefas esse putarent, terminum sub tecto consistere, eique fanum consecrarunt veteres, teste Festo.

Quoniam itaque tam sanctum, tam honorificum, tam præstans sit subjectum Chorographiæ; quis non meritò artem ipsam honorificam, gloriosam, sanctam, ideóque maximè excolendam, meritòque summo in pretio habendam judicaret?

Hæc facit ut regionum, provinciarum, urbium, pagorum & agrorum termini sint certissimi, immobiles, sancti, perpetui. Hæc facit, ut concordia inter vicinos & sanguine junctos constanti ac durabili felicitate floreat. Hæc litium & controversiarum semina tollit, ac enatum discordiarum lolium præscindit. Hæc antiquorum terminos vel à fluvio, vel ab hominibus, vel e terris evulsos et occupatos in lucem exponit, ac restituit. Hæc scientiarum regina facit, ut caveatur, ne Titius in arando atque fodiendo ultrò citròque plus æquo excurrat, aut Caji prædio quid præripiat; ac negotium pariat; ne Corydon pecora in Amyntæ fundum ducat; ne etiam Venatores ultra præfixas metas insectentur feras, aut retia collocent.

Neque eam ad rem magnis opus est sumptibus, certo enim quodam instrumento per Geometram terminorum distantia observatur, notatur, dimensione fideli præcedente consignatur; & numeris etiam appositis locorum circumstantiæ significantur. Idque fit commodissimè, quanto arbitri territoria annuatim cum civibus aut incolis nonnullis junioribus ac quibusdam pueris per-

lustrare

luſtrare terminos agrorum ac finium ſolent. Tum Renovator limitaneus, aut Geometra illis comitem ſe adjungere, pariaque cum ipſis ſpatia conficere, pariterque menſuram adhibere, & pictura, ſcripturaque obſervare circumſtantias & ſitum poterit; nec non defectus obiter annotare, locoquè convenienti indicare.

Qua quidem opera fiet, ut fines diligenti inveſtigatione & repetita luſtratione ac viſitatione frequenti, publica auctoritate renoventur, vel ſi lapides deſint, aut exciderint, nihilominus tamen fines commodis & evidentibus terminis regantur, lites præſcindantur, præcaveantur, ac in perpetuam rei memoriam ejusmodi tabulæ in archivis magni theſauri loco cuſtodiantur; ſi quid tamen erroris reſideat, illud decreto judicis dirimatur, adjudicando & condemnando ſecundum juris & jurisdictionis cujusque præſcriptum, ac prærogativam. Quod ſi autem prædia aut pagi, aut regiones terminis legitimis diſtincta probè non fuerint; tum judex conveniens ad inſpectionem ocularem perſonaliter accedet, ut res per teſtes aut arbitros demonſtretur, & tunc ſumptibus partium per agrimenſorem jurejurando prius obſtrictum agros aut pagos dividet, terminosque ſecundum illius declarationem ponet; ubi probatio per libros antiquos, teſtes ſeniores, & communem famam admittenda.

Hinc ergo conſtat quanta ſit utilitas ac neceſſitas chorographiæ ſcientiæ. De jucunditate nil dicam; quæ nullum latere ſanæ mentis poteſt; dum omnia, quæ in ſpatioſiſſimis apparent campis, in tabula perquam exigua Generoſi animi in arcibus & atriis æquè pari fide contemplari, intueri, cognoſcere poſſunt, ac ſi oculari demonſtratione adhibita in ipſo loco præſentes interfuiſſent.

Quod

Quod ſi laudabile, ac emolumento Reipublicæ eſſe putatur, renovare ſingulorum prædiorum annuos fructus, & jura, eorumque poſſeſſores atque vicinos notare, quidni uſui etiam eſſet, parisque honoris, gratiæ, præmii, totas regiones, urbes, pagos, vicos ſuis limitibus circumſcribere, ac vicinos aſſignare ubique proximos?

Itaque ſit aliarum facultatum cognitio utilis ſit jucunda & ſuavis, ſit laudabilis ac honorifica; hujus profectò uſus usque adeò eſt neceſſarius, ut carere eodem Respublicæ benè conſtitutæ minimè queant; modo diligentia adhibeatur, & deficientes termini legitima reſtaurentur ratione.

Quamobrem non dubitavi, eam in me ſuſcipere provinciam, in qua & perſecutus ſum & perſequar ea, (*Deo Opt. Max.* favente) quæ ad dirimendas lites in perpetuum tempus, idonea videbuntur, non modò regionibus integris, verùm etiam ſecernendis diœceſibus, urbibus, oppidis, pagis, vicis, villis &c. Non autem vel lucelli alicujus ſpe illectus, & exacta via viaticum quæſiturus: aut gloriolæ adductus cupiditate, cantherium quaſi in foſſa extimulaturus, ad pingendum, ſcribendum, metiendum acceſſi; ſed induſtria quantulumcumque mea, & Illuſtris ac Generoſi Comitis, Domini mei clementis, ut dixi, morem voluntati gratioſæ gerere, & Comitatus Hohenloici promovere nomen, gloriam & commodum volui.

Boni ergo labores hoſce meos conſule, ſimul etiam illud cogita, quod in ejusmodi diſtinctione regionum & locorum, omnis certitudo poſſeſſionis, jucundæ vicinitatis oblectatio, perpetuæ amicorum ac propinquorum concordiæ monumentum conſiſtat.

Vale amice lector. &c. Datæ prid. id. Sextil. Anno
DoMInI IeſV ChrIſtI.

Michael Hoſpinus.

ooo GLORIA

GLORIA BRUCKBERGÆ.

Lob des Hoch-Fürstlich-Anspachischen Lust-Hauses Bruckberg.

Viros Principes & in imperio excelsoque dignitatis loco constitutos, saepius deserta hominum frequentia, magnisque oppidis relictis, rus secedere, & in praedia sua, vel animi relaxandi, vel studii colendi causa se conferre, atque ibidem res suas & negotia agere, animumque curis fractum quodammodo reficere, & honestissimis doctrinarum studiis oblectare consuevisse, nemo nostrum facile ignorabit. Ita veteres Romani in gerenda republica occupati tempore justitii & alias sese in villas ab urbe remotas contulere, ubique animum lectione elegantissimorum librorum suavissimisque disputationibus relaxarunt; vel etiam confectis editisque praeclaris ingenii monumentis

tis, memoriam sempiternam sibi pararunt. Sic in Sabinis, in Tusculanis, in Laurentinis, aliisque, de omni Republica, de ratione honeste liberaliterque vivendi, de virtute, de animi magnitudine, de rerum humanarum contemtione, & de permultis aliis maxime utilibus & pereximiis rebus, una dissernerunt, atque animos variis negotiis defatigatos suaviter refecerunt, & sua sponte ad decus erectos magis magisque ad patriam tuendam excitarunt. Qui mos antiquus & hodie a plurimis retinetur. Cui enim nostrum Laxenburgum vel Ebersdorffium, arces illæ præstantissimæ, non sunt notæ, quo se Augustissimus Imperator noster, quem Deus diutissimè servet, & prole virili, quod enixissimis precibus expetimus, benigne mactet, gravissimis curis & maximis occupationibus, quibus in tanta imperii magnitudine distinetur, animum quodammodo soluturus, subinde confert, ut ab importuna interpellantium multitudine tutus, paullulum acquiescere viresque colligere possit. PHILIPPUS II. Rex Hispaniæ Mantuam Carpetanorum metropolin Hispaniæ postposuit Scoriaco suo, ad quod magnifice exstruendum, maximos sumptus impendit, atque frequenter in ore habuit: Se in Scoriaco suo leges præscribere, quibus antiquus pariter & novus orbis terrarum pareat necesse sit. Imo Viri Principes non animi relaxandi causa sese solum ab magnis oppidis removent, sed etiam quo tutius vivant, & rerum humanarum imbecillitatem in otio secum reputent, vel ab impetu hominum perditorum & insidiis securius agant. Admiratur Europa, & merito admiratur PHILIPPUM V. Hispaniarum Regem, qui in flore ætatis constitutus & nondum quadraginta & unum annum natus, exemplo vix post hominum memoriam audito, abdicata imperii amplissimi dignitate, & administratione regia filio natu majori tradita, Ildephonsam, tanquam in secessum se contulit, ut a negotiis regnandi permolestis longius

gius abesset, & spretis Regiæ Majestatis titulo atque insignibus, sibi liber viveret, & hujus vitæ fragilitate, cujus in prosperis rebus aulaeque deliciis nimia plerumque oblivio est, attentius considerata, ad illud iter, quod omnibus ineundum est, se melius pararet. Saepius etiam Principes filios suos in spem imperii genitos, non in magnis oppidis, sed in prædiis, in arcibus, a turba hominum sejunctis, ad imperium felicius aliquando & prudentius gerendum & administrandum, pro generis excellentia, artibus necessariis & honestissimis litterarum studiis laudabiliter institui & erudiri curant. Magna enim oppida plerumque exemplis nocent, & a severis & gravibus negotiis ad ludicra & jocosa nimium quantum animos abducere solent. Non abludit a vero, quod in Marco Tullio pro Sexto Roscio Amerino legimus: *In urbe creatur luxuries, ex luxuria existit avaritia & æris alieni cupiditas necesse est; ex avaritia erumpit audacia, atque inde omnia scelera & maleficia gignuntur; Vita autem agrestis & ab urbe sejuncta, parsimoniæ, diligentiæ, justitiæque magistra est.* Graves igitur sine dubio causæ impulerunt Serenissimum Onoldinum Principem WILHELMUM FRIEDERICUM, Heroëm longiore vita dignissimum, ut filium CAROLUM FRIEDERICUM WILHELMUM, provinciarum pariter atque virtutum paternarum hæredem, vellet *Bruckbergæ* potius, quam Onoldi, in sede Marggraviorum, atque adeo in secessu magis quam aulæ luce divinis humanisque litteris expoliri, & iis artibus maturè imbui, quibus prudentia subjectos feliciter regendi paratur, atque provinciarum a Deo creditarum salus & incolumitas continetur. Quæ *Bruckberga* inprimis ex præsentia & commoratione Serenissimi Principis Juvenis illustris facta maximeque nobilitata est. Existimavi igitur, me materiam nec huic loco inconvenientem, nec ad dicendum indignam delegisse, qui hanc arcem pagumque & terræ tractum, in

quo

quo ſuaviſſimus Princeps in ſpem gentis Brandenburgicæ feliciter natus ingenii colendi cauſa per aliquot annos ſe continuit, oratione brevi deſcribere, vobisque ob oculos ponere, ejusque præſtantiam notiorem vobis facere coner. Quod ſi Viri erudiſſimi non reprehenduntur, ſed laudantur, cum ingenii & eloquentiæ oſtentandæ cauſa viles nonnunquam & ludicras res oratione copioſa & dicendi artificio exornare ſolent; ſicut diſſertiſſimus ille Belgarum Orator Petrus Franzius encomium Galli gallinacei, Deſiderius Eraſmus, Phœnix litteratorum, Vir infinitæ lectionis, laudationem moriæ conſcriptam publicavit, & prudentiſſimus Schuppius publicè de lana caprina verba facere non dubitavit: Quis mihi vitio vertet, ſi nobiliſſimum prædium & arcem *Bruckbergam* exoptatiſſimi Principis orationis meae penicillo quodammodo adumbrare, & felicitatem loci collaudare ſuſtineam? Vos modo, Auditores omnium ordinum ſplendidiſſimi honoratiſſimique, perobſervanter rogo obſecroque, ut mihi attentionem exigui temporis ne denegetis, neque vobis inſtitutum meum diſplicere ſinatis. Quod ſi mea qualiscunque oratio ab elegantia ſermonis, quæ in meam dicendi pueritiam vix cadere videtur, ſe parum commendabit, non committam, ut modeſtia & pudor, qui adoleſcentes inprimis ornat, cum gratâ brevitate conjunctus jure deſiderari poſſit. De Bruckberga ignobili pago ejusdemque arce dum cogito, quamvis prima ſpecie perexiguum dicendi argumentum præbere videtur, tamen haud pauca memoriâ & commendatione digniſſima dicenti mihi occurrunt, ut difficile ſit judicare, quid primo, quid ſecundo, quid poſtremo loco ponam, meæque orationis filo pertexam? Laudemne potius ab antiquitate, quae alias aeſtimari & in magnarum urbium laudibus enumerari conſuevit, an ſitus amoenitatem prædicem, & agrum frugum fructuumque ubertate & præſtantia inſignem

ſignem commendem maxime & extollam? *Bruckberga* equeſtre olim praedium fuit liberæ nobilitatis Franconiæ, ordinis ab Altmula dicti. Ante aliquot ſaecula ad Equites DE ROTENHAN pertinuit, qui originem ſuam ex Franconia trahunt, gentisque gloriam cum litterarum ſtudiis, tum bellica laude extulerunt olim, multisque meritis illuſtratam ad poſteros propagarunt. Nam SEBASTIANUS DE ROTENHAN ita in omni liberalis doctrinae artiumque laudandarum genere verſatus eſt, ut doctoris inſignia olim applauſu maximo impetraret, & ANTONIUS DE ROTENHAN circa medium ſaeculi decimi quinti Bambergæ Epiſcopus creatus, ampliſſimum ſacerdotium non ſine magna nominis gentisque laude adminiſtravit. Hanc arcem *Bruckbergam* Equites DE ROTENHAN per longum temporis intervallum in poſſeſſione habuerunt, & diu incoluerunt. Cum enim patrum noſtrorum memoria Germania multis diſſidiis inteſtinis bellisque domeſticis jactaretur, pax plerumque dubia eſſet, & arma plus quam leges valerent, equeſtris dignitatis homines arces potius pro temporum conditione munitas quam pagos & oppida minora hoſtibus expoſita inhabitare voluerunt. Poſtea dotis nomine *Bruckberga* ad gentem EYBIORUM pervenit. Priſcis Saeculis illuſtres Familiæ eum, laudabilem an perniciosum dicam, morem tenuere, ut ſi qua filia fuit elocanda dotis nomine praedia, pagi, arcesque tribuerentur, quo factum, ut Familiæ quondam florentiſſimae & opulentiſſimae magnam rerum jacturam facerent, & quædam ad incitas ferè redigerentur. Hanc igitur *Bruckbergam* anno milleſimo quadringenteſimo, quo rebus imperii turbatis omnia miſcebantur, dotis titulo ASMUS DE EYB accepit. Hic magna mihi copia eſſet commemorandi, de generoſiſſimae hujus gentis virtute, meritis factisque præclaris, ſi tempus in praeſenti pateretur. Neminem enim vel mediocriter in hiſtoriarum monumentis verſatum praeterire poteſt

ceſt, EYBIOS olim & pace & bello claros, ſummisque dignitatibus ornatos fuiſſe. MARTINUS DE EYB in Sæculo decimo quinto munus Antiſtitis Bambergæ ſingulari prudentia obiit, & GABRIELI DE EYB Aichſtadienſi Epiſcopo, inſignia Doctoris Decretorum, applaudentibus eruditis, conferebantur. Hunc excepit JOHANNES MARTINUS DE EYB, qui Familiam multis ornamentis decoratam ampliorem reddidit, decusque avitum virtute propria & meritis cumulatum feliciter ad poſteros transmiſit. Neque nobiliſſimae ſtirpi huc usque defuere, qui belli togæque artibus inclaruerunt, & generis dignitate pariter ac virtute præſtantes, conſilio factisque præclaris patriam ſuſtentarunt. Cum enim duae ſint viæ quibus nobili genere nati altius aſcendere famamque ſibi parare queant, quarum altera *Marte* altera *Arte* nititur, EYBII a longo tempore id egerunt, ut in utroque excellerent, & patriam vel civili prudentia ſibi devincirent, vel ab injuriis hoſtium virtute bellica defenderent, & fortiter tuerentur. Hinc factum, ut tota Germania, imo tota Europa bellicis motibus agitata, JOHANNES CHRISTOPHORUS DE EYB, Anno milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo ſeptimo, caſtra adverſus Turcas immaniſſimos Barbaros hoſtesque infenſiſſimos Chriſtiani nominis ſequeretur, ſtrenui militis & fidi patriae civis partes impleturus. Sed fato quodam infeliciſſimo ab Turcis captus, graviſſimæ ſervitutis jugum, & Tyranni crudeliſſimi vincula perpeſſus eſt. Quo igitur ex hac miſeria, quæ nullis verbis poteſt exprimi iterum redimeretur, & ex ſervitute in libertatem nullo pretio æſtimabilem vindicaretur, hoſtibus maximam vim auri poſtulantibus, vendita eſt hæc *Bruckberga* illuſtri DOMINO DE LÖWEN, poſt cujus diſceſſum ad viduam, eâdemque ſancto Connubii fœdere Generoſiſſimo JULIO DIETERICO DE CRAILSHEIM junctâ, in Crailsheimenſem ditionem, pervenit, quæ Crailsheimenſium gens,

tanquam

tanquam ſplendidum aliquod ſidus in ordine equeſtri hodieque eminet, multisque prærogativis gaudet, & nullo non tempore praeclaris facinoribus ſummisque meritis patriam ſibi devinxit, atque in ſplendidiſſimo capite equeſtris ordinis in Franconia ab Altmula dicti, HANNIBALE FRIEDERICO DE CRAILSHEIM, exemplar Herois & ſago & toga illuſtris ſummaque prudentia & conſiliorum dexteritate præſtantis, veneratur. Sed redeo ad *Bruckbergam*, quam diutius in ſua poteſtate retinere, modò laudatus JULIUS DIETERICUS DE CRAILSHEIM, è re ſua non exiſtimavit eſſe; vendidit igitur aequis conditionibus Sereniſſimo Onoldino WILHEMO FRIEDERICO rebus humanis ante annum, & quod excurrit, proh dolor! maturius erepto, ingenti ſui deſiderio ſereniſſimæ conjugi, & unico filio paternæ laudis æmulo, omnibusque ſubjectis, quin optimis quibusque imperii civibus, relicto. Hic ſapientiſſimus Princeps *Bruckbergam* hanc ob ſitus amœnitatem melius inſtaurari, magnificentiusque exornari juſſit. Bruckberga enim duarum tantum horarum ſpatio Onoldô, & aliquot horarum intervallo Norimbergâ, principe urbium Noricarum, diſtans, in pulcherrimâ Franconiæ plagâ & valle amœniſſimâ poſita jacet. Pagus ipſe in duas partes eſt diviſus, quarum altera appellatur Bruckberga magna, parva altera, illa Onoldo proficiſcentibus ad dextram, haec vero ad ſiniſtram poſita apparet, inter quas orientem verſus arx in edito colli ſita, poſt ſe montem habet, unde adjacens regio jucundè conſpici poteſt. Rivus, qui *Biber* dicitur, & qui pagum in duas partes dividit, licet piſcibus pretioſis non abundet, tamen piſces minuti & cancri hic reperiuntur, unde ſingularis recreatio animi peti poteſt. Neque exigua praedii amoenitas hinc elucet, quod ſaltus & ſylvae feris & avibus refertæ,

fertæ, hic admodum eleganter reperiantur, in quibus Princeps litterarum ſtudio fatigatus, animum aucupando & venando relaxare poteſt. His ſunt ſubjecta prata viriditate nitida & copioſa, inque valli amœniſſima poſita, ex quibus cum jucunditate & magna utilitas percipitur. Arci adjungitur hortus, qui variis plantis & perpulchris floribus arboribusque ad Principis delectationem, ornatur. Honeſta nunquam non illa & liberalis animi recreatio a ſapientiſſimo quoq; habita eſt, quæ ex hortorum cultura percipitur. Nihil enim Horto bene culto uberius, nec ſpecie ornatius nec ad depellendas animi moleſtias accommodatius aut ad conditoris bonitatem accuratius contemplandam efficacius reperiri poteſt. Cyrum Regem Perſarum ingenii atque imperii gloria praeſtantem, animum imperii curis & negotiorum multitudine fractum hac inprimis ratione refeciſſe, & ex hortis colendis maximam voluptatem cepiſſe ferunt. Cum enim *Lyſander* Lacedemonius legatus a civitate ad eum miſſus, commonſtrata regis magnificentia & alia multa, & cum maxime regium hortum, in eoque proceritates arborum & directos ordines, & humum ſubactam atque puram, & ſuavitatem odorum, qui adflabebantur è floribus, admiratus dixiſſet: *mirari ſe non modo diligentiam, ſed etiam ſolertiam ejus, a quo eſſent illa dimenſa atque deſcripta*, huic reſpondit *Cyrus*: *Ego omnia iſta ſum dimenſus, mei ſunt ordines, mea deſcriptio, multæ etiam iſtarum arborum mea manu ſunt ſatae.* Olim quidem Bruckberga non aeque ſplendida fuit, ſed juſſu & auctoritate ipſius Principis Sereniſſimi Wilhelmi Friederici elegantius inſtaurata, & ad commode incolendum exornata eſt. Quæ omnia decus huic Bruckbergæ adferunt, eandemque inprimis commendant, ſed aliud eſt, quod maximum ornamentum laudemque immortalem Bruckbergam parit, memoriamque ejus cum ſera poſteritate adæquat. Haec Tua, Bruckberga dilectiſ-

ſima! felicitas maxima, hoc decus præcipuum, hic honor nulla temporum injuria vel extinguendus vel minuendus eſt tuus proprius, quod Princeps optimae ſpei, pignus unicum domus Brandenburgicæ, quatuor annos & quod excurrit, hanc arcem incoluit, ibique usque ad præmaturum patris diſceſſum, litterarum divinarum humanarumque ſtudia magno Principe digna tractavit, & ducibus optimis rerumque uſu probatiſſimis, ad felicius aliquando imperium adminiſtrandum ea didicit, quæ ipſi ornamento, Brandenburgicæ genti, longe omnium antiquiſſimæ, gloriæ, ſubjectisque ſaluti eſſe poſſunt, ita ut nemo ſit, qui non perſuaſus vivat, eum talem futurum, qualem ineunte ætate cognitum Bruckberga habuit. Verbum pervulgatum eſt; Veſtis virum facit, ſed multo laudabilius eſt, cum vere dici poteſt, Vir ornat veſtem. Bruckberga parum vel nihil habuit, quo Principem ſuaviſſimum ornaret, ſed hic quam plurima & maxima, quibus dignitatem Bruckbergæ conciliaret. Ex hujus enim præſentia, memoriam ſempiternam eſt adepta. Hic Princeps ad præclara quævis natus, exemplo ad omnem poſteritatis memoriam commendando, commonſtrare voluit, quibus artibus puerilis & juvenilis Principum ætas, non vanis illis, & mox perituris, ſaltandi venandi, equitandi, ſed ſolidis & magnorum virorum dignitatem tuentibus, populorumque ſalutem amplificantibus, imbui, & conſecrari, atque adeo fundamenta ſalutis humanae & conſervandæ & augendæ poni mature & firmari debeant. Cujus inſtituti gloria ad Sereniſſimum WILHELMUM FRIDERICUM, cœleſtium Principum numero jam adſcriptum, inprimis pertinet, qui ampliſſimæ domui ſuae nihil glorioſius, Principi Juveni nihil ſalubrius, omnibusque ſubjectis nihil utilius præſtare potuiſſet, quam quod unicum filium ſpem poſteritatis, virtutibus & litteris principe & Chriſtiano maxime dignis, erudiri prudentiſſime curavit. Multa

quidem

quidem in maximo hoc Principe erant admiratione digna, sed id primo loco ponendum esse censeo, quod de recta filii charissimi & augustæ dignitati convenienti educatione tanto studio solicitus fuit. Hæc ejus laus propria est, nullaque temporum oblivione obscurabitur, omniumque litteris & linguis celebratur merito, & mea quoque humillima prædicatione tanquam optimum instituendi Principum liberos exemplum, æstimatione religiosissima colitur. Nemo enim facile erit, qui tam excellenti Principis educatione non lætaretur, & hinc eximia quæque, non provinciis modo ejus, verum etiam omni Germaniæ polliceretur. Te jam absentem licet, Princeps Serenissime, præsidium decusque imperii & Domus Brandenburgicæ eminentissimum, sermone demississimo compello, cujus gratiæ permulta documenta in meam familiam edita, mente subjectiosissima veneror, Tibique a Deo immortali rerum humanarum statore & summo magnarum animarum conservatore, optima & secundissima quævis apprecor, enixissime cupiens, atque optans, ut is cujus nutu cœlum, terra, maria, provinciæ & homines reguntur, supremus bonorum omnium fons & auctor Te Princeps Serenissime, multos annos salvum incolumemque conservet, diuturnitatem vitæ, imperii felicitatem, Consiliarios prudentia rerumque usu probatos, & cives obsequio & fide certantes, Tibi propitius largiatur. Perficiat Numen cujus in manu res nostræ sunt, ut omnes majores gloria rerum gestarum insignes, meritisque summis in imperio nobilitatos, vel exaeques vel exsuperes, atque spem Serenissimæ matris in hac tenera aetate, pietate multisque aliis praeclaris virtutibus concitatam, constantia firmes & in posterum feliciter impleas. Det Deus ut omnem Germaniam, communem patriam, in Tui cultu & admiratione defixam, aliquando, consiliorum prudentia, rerumque gestarum magnitudine, cum sempiterni nominis

gloria, Tibi devincias, neque hinc discedas, quam & naturæ vivendo satisfeceris, & ea omnia gloriose constitueris, quæ salus provinciarum, Ecclesiæ, his maxime temporibus afflictæ, dignitas, fortunæque Tuorum omnium expectatione læta de ingenio Tuo præstantissimo & magnarum rerum maxime capaci sibi policentur.

Enimvero, quamvis multa ad huc supersunt, quæ a me dici mereantur, vela tamen contrahenda, portusque tandem respiciendus est, ubi prius pietatis officia, sicut par est, a me fuerint persoluta. Cum enim beneficia, quibus cum hic, tum & alibi mactatus sum, considero, numero ingratorum essem adscribendus, nisi, quæ liberaliter in me collata sunt, grata mente agnoscerem, & observanter prædicarem. Deus est fons & auctor omnium bonorum, quicquid sumus, quicquid habemus, quicquid possumus, id omne ab eo proficiscitur, cui gloria & honos & nunc & in sempiternum debetur, huic ego etiam nunc in præsenti gratias immortales ago, qui tot tantisque beneficiis, cùm qua corpus, tùm etiam qua animam, ab ineunte ætate, me cumulavit. Tuum munus est sanctissime Deus, quod non bestia rationis expers, sed homo rationis particeps sum. Tuum est beneficium, quod sum, quod vivo, quod moveor, quod in gremio Ecclesiæ veræ, ab ejusmodi parentibus editus sum, qui me fonte sacro ablutum, a teneris quod ajunt unguiculis honestis doctrinarum studiis & moribus Christianis excoluerunt, & cùm meam tùm reliquorum fratrum salutem, consilio, opibus, multisque aliis rebus amplificare summo studio contendunt, Pro tanta horum beneficiorum copia, qua gratiarum actione perfungar? tantum dico, me hæc, per totum vitæ cursum accepta beneficia nunquam esse ingrata oblivione deleturum. Te O Deus T. O. M. porro supplex rogo, ne memor sis juvenilium delictorum, sed ut me spiritu

ritu Tuo sanctiori regas, atque ita in Academiis ducas, ut à pravorum hominum societate sejunctus in Tua gratia firmiter maneam, atque aliquando cum angelis conjunctus, laudem Tuam in sempiternum concelebrem.

Jam ad Vos Illustrissimos hujus oppidi Comites ac Dominos, ad Vos inquam sese convertit oratio mea, qui non tantum hoc litterarum domicilium tuemini & fovetis, verum etiam mihi vestra gratia & præsidio, nunquam defuistis. Quas gratias agam habeamque? quibus laudibus Vestram in me meosque clementiam & liberalitatem efferam? Deo omnium Magisttatuum præsidi, Dominoque Dominorum enixè supplico, ut Vos Clementissimos Comites ad Nestoris usque annos salvos florentesque esse velit, in consiliis semper Vobis adsit, cunctaque ad optatum finem perducat, Vosque diuturna corporis incolumitate mactatos, una cum tota Illustrissima stirpe Hohenloica omni felicitatis genere cumulatos præstet & tueatur, Vestræque gentis gloriam integram & illibatam conservet, nec nisi cum hoc universo interire patiatur.

Pietas & singularis quædam observantia in præsenti orationem meam, ad Illustrissimum CAROLUM LUDOVICUM Comitem Hohenloico-Weickersheimensem, & Illustrissimum JOHANNEM FRIDERICUM Comitem Castellensem-Rudenhusanum, convertit. Vobis Celsissimi Comites, inprimis gratias demisse ago habeoque singulares, qui Vestram in me meamque familiam, benignitatem, multis gratiæ & favoris perclementis significationibus confirmatis, quod hic submissa veneratione agnosco, & per omnem vitam deprædicare paratus sum. Deus benignissimus, avertat a Vobis omnes periculosos & graves valetudinis motus, Vosque gloria & felicitate decoratos, ad summam

ſenectutem perducat, nec cœlo, niſi emenſo vitæ longiſſimæ ſpacio, pro ſua bonitate reddat.

Quod ſi jam ad Nobiliſſimos Excellentiſſimosque Conſiliarios, ut & ad Venerandos ſacrarum litterarum interpretes oculos converto, ſtatim intelligo, pro eorum benevolo in me animo, affectuque ſingulari, quem mihi hic commoranti, non raro variis argumentis declaratum dederunt, ſumma gratiarum actione iis obſtrictum me teneri. Nam ſi in memoriam mihi revoco, Veſtras in hoc Gymnaſio varias, & ad ſalutem meam accommodatas admonitiones, multiplices ſeſe oſtendunt cauſæ, cur gratam Vobis mentem declarem. Vobis Viri ampliſſimi, ſumme plurimumque reverendi, qui conſilio & auctoritate huic Gymnaſio præeſtis, non mediocriter me obligatum profiteor. Veſtram humanitatem & animo colam, & ſi vires aliquando ferent, quibuscunque potero officiis complectar; Deum vero conſtanter deprecabor, ut Vobis ſanitatem ſemper illæſam viresque recentes indulgeat, & ad ſuſtinenda Veſtra munera Spiritus divinioris gratiam liberaliter impertiatur, Vosque & Nobiliſſimas veſtras Familias perpetuis fortunæ bonis mactet, augeat, cumulet.

Nobiliſſimi Patris mei hac in Oratione ſi obliviſcerer, & mei & maximorum beneficiorum obliviſcerer, nec ingrati crimen facile defugerem, cui pro tam largiter copioſeque nonſolum per totum vitæ meæ curriculum, verum etiam, quam diu hic litterarum cauſa commorabar, in me collatis ſumptibus, ſic ut filii in parentem pietas requirit, gratias ago habeoque maximas. Sed quia liberi parentibus referre gratias non poſſunt, promitto, me id ſedulo acturum, ut recte faciendo & virtutem colendo gaudium optimi Patris, ſuaviſſimæque meæ matris, expleam. Deum enixiſſimis precibus exoro, ut omnia quæ triſtia, quæ noxia, imo quæ funeſta eſſe poſſunt, ab iis averruncet, annosque illorum, ad

extremos

extremos vitæ terminos extendat, quo & in posterum in meum incrementum ipsorum cura quam diutissime perfrui queam.

Cum mihi denique propono illam singularem curam, diligentiam & promptum studium, quibus me Clarissimi hujus Lycei Præceptores amplexi sunt, vix verborum satis ad dignas gratias agendas reperire possum. Nam statim me ante quadriennium advenientem, liberaliter & benevole receperunt, variis artibus scientiisque erudierunt, & fundamenta salutis felicitatisque meæ jecerunt, & omne id devitare docuerunt, quod Adolescentes præcipites dare potest, atque adeo salutari disciplina imbutum, ad omnem honestatem ingenti studio perducere laborarunt. Quomodo hæc beneficia rependam? Deum T. O. M. supplex rogabo, ut vestram ætatem in juventutis incrementum multos in annos protrahat vobisque ita benedicat, ut nihil nisi quod lætum & jucundum est, de vobis percipere queam.

Ad extremum Vos, Charissimi Commilitones, alloquor, Vestra humanitas & benevolentia nunquam animo excidet, meque Vobis perpetua voluntatis propensione devincit. Deus Vestros conatus secundet, & spiritu sapientiæ efficiat, quo studia Vestra, inprimis ad divini nominis gloriam, patriæ commoda, & Parentum gaudia spectent. Id unicum rogo, ut me semel in Vestram amicitiam & amorem receptum, absentem quoque benevolentia complectamini, nec de mea erga Vos promptissima voluntate unquam dubitetis.

DIXI.

A. MDCCXXIV.

Entscheid

Entscheid Bischoff Ottonis zu Würzburg, zwischen Hohenlohe und Vestenberg, die Wildfuhr auf dem Steiger-Wald betreffend, cum Confirmatione Imperatoris Ludovici An. 1344.

Wir Ludwig von GOttes Gnaden Römischer Kayser, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs, veriehen öffentlich an diesem Brieff und thun allen denen, die ihn sehen, hören, oder lesen, daß für uns kommen sind die Vesten Ritter, mit Nahmen Johannes und Albrecht von Vestenberg, Gebrüdere, unsere liebe Getreue, und sie haben für uns bracht einen Brieff, mit unsers Reichs-Fürsten Bischoff Ottens zu Würtzburg anhangenden Insigel, derselbig Brieff gantz unversehret und unverletzt was, und lautet einer Beydung, zwischen unsern lieben Getreuen, Jerlach, und Albrecht, und Gottfried von Hohenlohe, Gebrüdern, auf einer Seiten, und dann obgenanten von Vestenberg, auff der andern Seiten, von der Wildfuhr auf dem Steiger-Wald wegen, darumb sie dann gar offt auff beyden Seiten vor uns in Clagweis gewesen sein, und wir den genanten Bischoff ihnen zu Richter darüber gegeben haben, sie zu entrichten guetlich oder rechtlich, in allermas, als hätten wir das selbst gethan; und solcher Brieff lautet von Worten zu Worten also:

Wir Otto von GOttes Gnaden, Bischoff zue Würtzburg, bekennen öffentlich mit diesem Brieff gegen allen denen, die ihn lesen, oder hören lesen. Als Herr Jerlach und Herr Albrecht, und Herr

